466

Per. 2119 e. 22/9



Digitized by Google

Digitized by Google

466

Per. 2119 e. 22/9

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA AUGUSTANA,

COMPLECTENS
NOTITIAS VARIAS
DE VITA ET SCRIPTIS
ERUDITORUM,

QUOS
AUGUSTA VINDELICA
ORBI LITTERATO
VEL DEDIT VEL ALUIT.

Congessit FRANCISCUS ANTONIUS VEITH
Augustanus, Bibliopola.

Alphabetum IX.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

AUGUSTÆ VINDELICÆ.
SUMPTIBUS AUCTORIS.
MDCCLXXXXII.

Digitized by Google

MVSEVM
BRITAN
NICVM

1881
DUPLICATE
FOR SALE

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Cape, *Lector benevole*! Alphabetum IX. Bibliothecæ *meæ*, *in cujus limine* (*poſt brevem Vitæ* Caſparis ADLERI, *ſive* Aquilæ *ſummam*) *litteraria* Matthiæ Friderici BECKII, *ex Orientalium*, *præſertim* Arabicæ, *linguarum cognitione maximam nominis famam aſſecuti*, *merita fuſiùs exponenda mihi eſſe judicavi*. *Sequitur* Joannes CROPHIUS, *Vir ſcholaſticis occupationibus immortuus*, *cujus latus duo filii ſtipant* Joannes Baptiſta, *&* Philippus Jacobus, *quorum prior juvenilibus annis*, *alter toto adeò vitæ tempore parentis veſtigia trivit*. *Hos excipit* IATROLOGIA AUGUSTANA SÆCULI XVII. ET XVIII. *intra cujus limites ita omnia coegi*, *memor promiſſi à me a) dati*; *ut eorum*, *quæ hac de materia afferri poſſunt*, *quidpiam à me prætermiſſum eſſe vix rear*. *Certe ſummam in ſcrutando diligentiam*, *ſummamque contentionem mihi nullo modo defeciſſe*, *præſtare de me ipſe queo*; *cum animo perſuaſiſſimum ſemper habuerim*, *in* Facultate medica, *tantùm ad generis humani conſervationem*, *tantùm vel ad commodam valetudinem tuendam*, *vel incommodam propulſandam faciente*, *minima quoque & ſpecie tenus exilia*

a) Vide *Præfationem* ad *Alphabetum VIII. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*.

Digitized by Google

maximum momentum, maximamque utilitatem habere facile poſſe. Inter illorum autem temporum Medicos, *quos laudo, nominibus ſuis appellare hoc in loco convenit* Lucas SCHROECKIOS, *Patrem ac Filium*: Joannem HENISIUM: Joannem Matthæum FABRUM: Marcum BANZERUM: Georgium Tobiam DURRIUM: Georgium Hieronymum WELSCHIUM, *qui* (*ut phraſi* Virgilii *utar*) tantùm *inter vlios Eruditos caput extulit.*

Quantùm lenta ſolent inter viburna Cypreſſi.

et Martinum HOLZAPFELIUM *Medicum Reipublicæ patriæ, inprimis illuſtrium Heroum* DD. Fuggerorum.

Stare me hîc, tum ſingularis mea erga Familiam *iſtam* Illuſtriſſimam *reverentia, tum grati animi affectus jubet, et Lectores meos, ubicunque locorum aut gentium fuerint, monere ſequentia imperat. Cum* de inſignibus Illuſtriſſimæ S. R. I. Comitum FUGGERORUM Gentis in Rem litterariam Meritis *plura congeſta b) haberem* (*inſtigante uno ex affinibus meis, et multum mihi venerando, et ipſo ſerviciis* Nobiliſſimæ Domûs *addicto, ſplendoremque, ejusdem et commoda amplificandi ſtudioſiſſimo, ſummo unius Ditionis Præfecto et Conſiliario digniſſimo, multisque aliis nominibus plurimum commendando*) *propoſitum cepi, â me lucubrata*, Libellô ſingulari *anno* 1790. *excuſô comprehenſa*, Inclytiſſimæ Genti *humiliter offerendi, addita* Inſcriptione lapidaria, *ſequentibus verbis contexta:*

b) Vide *Præfationem* ad *Alphabetum VII. Bibliothecæ Auguſtianæ.*

NOBI

NOBILISSIMÆ.
AC.
ILLVSTRISSIMÆ.
SACRI. ROMANI. IMPERII.
COMITVM.
FVGGERORVM.
GENTI.
QVOD.
PRÆTER. INNVMERA.
VIRTVTIS. AC. PIETATIS.
PRVDENTIÆ.
POLITICÆ. AC. CIVILIS.
DENIQVE.
BELICÆ. FORTITVDINIS.
PRÆCLARISSIMA. FACINORA.
OMNI. QVOQVE. TEMPORE.
MVSIS. STVDIOSE. LITAVIT.
DOCTOS. EGREGIE. FOVIT.
LITERAS. MIRE. PROVEXIT.

Digitized by Google

LITTERARIVM.
HOC.
MONVMENTVM.
PVBLICÆ. FAMÆ.
ERGO.
FRANC. ANTON. VEITHIVS.
AVGVSTANVS.
NEGOTIATOR. LIBRARIVS.
TANTARVM. LAVDVM.
PERPETVVS. ADMIRATOR.
IN.
MANSVRAM.
VENERABVNDÆ. SERVITVTIS. SVÆ.
MEMORIAM.
CVM. VOTO.
OMNIGENÆ.
FELICITATIS. GLORIÆ. SPLENDORIS.
LL. M. P.

Digitized by Google

Hac veſte oblatum ſibi ſervitutis meæ obſequium Majores Illuſtriſſimæ Gentis *tam prolixo favore, tam prona voluntate exceperunt; ut non ſolùm gratiam, quam ab eis iniviſſem, ampliſſimam honorificentiſſimis litteris atteſtati; ſed eandem etiam ſplendidiſſimo, ad priſcæ artis regulas elaborato, munere argenteo confirmare atque roborare omnino fuerint dignati, hac ratione & veterem Progenitorum erga Litteras amorem recenti exemplo, & antiquam Patrum in cohoneſtandis Litteratis munificentiam nova liberalitate inſtaurantes. Quod ipſum dum palam atque in conſpectu totius eruditi orbis profiteor, ut ad duraturam* Generoſiſſimæ Familiæ *gloriam feliciter eveniat, ex animo precor!*

Jam redire ad Iatrologiam Auguſtanam: *&, quod in* Præfatione *ad* Alphabetum VIII. *monui, repetere libet: ſcilicet neque hanc* Iatrologiæ *partem ita in ſolis medici argumenti rebus narrandis immorari, ut non* varia litteraria *ſæpius inſpergantur. Finitâ* Iatrologiâ *laudo* Joannem MARCI *Juriſconſultum, Virúmque politicum:* Antonium MARGARITAM *ex Judæo Chriſtianum, qui* Auguſtæ *aliquamdiu* hebraicæ linguæ *elementa docuit:* Narciſſum RAUNERUM, *Poetam laureatum, Pædagogum in* Gymnaſio *&* Collegio Annæano: Rudolphum *quendam* de Auguſta, *qui anno* 1301. *in Gymnaſio* Patavino *inclaruit:* Joannem Jacobum THURMIUM, *quem etſi præcox Libitina adoleſcentem ſuſtulit, at ingenii doctrinæque maturitas Viris accenſere jubent: denique* Davidem TOMANUM, *Jurisperitum ac* Conſiliarium Reipublicæ Auguſtanæ.

Hæc erant, quæ monere te in limine volui; Lector! Tu feliciter lege, & ſtudiis meis ſuetum favorem præſta!

Scribebam Auguſtæ Vindel. *Pridie Calend. Junii, M. DCC. LXXXXII.*

AUCTOR.

Nomi-

Digitized by Google

Nomina eorum,

Qui hoc *Alphabeto VIII.* continentur.

Obſerva, Lector! eos Scriptores, qui *peculiari Paragrapho* laudantur, litteris majusculis: eos vero, qui duntaxat in tranſitu, aut per modum brevis *Notæ* memorantur, litteris minuſculis exprimi.

	Pag.
ADLER (Caſpar) ſive AQUILA. -	1
BANZERUS (Marcus) *Profeſſor Medicinæ.* - -	98
BECHLER (Franc. Joſephus) *Medicus.*	181
BECKIUS (Matthias Fridericus) *Philologus.* - -	3
BERCKMILLER (Thomas) *Medicus.*	181
BIERMANN (Georg. Jacobus) *Medicus.*	183
BOXBARTERUS (Abraham) *Medicus.*	88
Boxbarterus (Antonius) *Medicus.*	89
BRENGGERUS (Jo. Georgius) *Medicus.*	47
BYLERUS (Lucas) *Medicus.* -	46
CASTELLUS (Joannes) *Medicus.*	47
CROPHIUS (Joannes) *Pater.* -	19
CROPHIUS (Joannes Baptiſta) *Filius.*	21
CROPHIUS (Philipp. Jacobus) *Filius.*	26
DEISCH (Jo. Andreas) *Medicus.* -	184
DURR (Georg. Tobias) *Medicus.* -	105
ERHARD (Ieremias) *Medicus.* -	43
ETTNER (Jo. Chriſtophorus) *Medicus.*	103

FA-

Digitized by Google

FABER (Jo. Matthias) *Medicus.* - 90
GEIGER (Daniel) *Medicus.* - 94
GREMBS (Franc. Oſwaldus) *Medicus.* 95.
GULLMANN (Benedictus) *Medicus.* 185
GUTERMANN (Georg. Frid.) *Medicus.* 187
HAINZEL (Joannes Petrus) *à Degerſtein, Genealogus.* - - 37
Hainzel (Jo. Ludovicus) *Philoſophus.* 40
HAINZMANN (Jo. Chriſtophorus) *Medicus.* - - - 102
HEBENSTREIT (Georgius) *Medicus.* 83
HEBENSTREIT (Joann. Baptiſta) *Philologus.* - - 84
HENISIUS (Joannes) *Medicus.* - 85
Heniſius (Jo. Ludovicus) *Medicus.* 88
HOECHSTETTERUS (Philippus) *Medicus.* - - 82
HOECHSTETTERUS (Jo. Philippus) *Medicus.* - - 82
HOLZAPFELIUS (Martinus) *Medicus.* 44
Holzapfelius (Jo. Jacob.) *Medicus.* 46
KHELLE (Joannes) *Medicus.* - 188
LAUBIUS (Hieronymus) *Medicus.* 189
LUTZ (Ludov. Henricus) *Medicus.* 100
MARCI (Joannes) *Jurisconſultus.* 192
Marci (Paul. Joannes) *Filius.* 193
MARGARITHA (Antonius) *Hebræus.* 195
MARIUS (Joannes) *Medicus.* - 101

MAT-

Digitized by Google

MATTHIOLI (Ferdinandus) *Medicus.* 81
Meuderlinus (Petrus) *Ephorus Colleg. evangel. Auguſt.* - 51
MINDERER (Raymundus) *Medicus.* 47
ORTELIUS (Abraham) *Medicus.* - 46
RAUNER (Narciſſus) *Ephorus Colleg. evangel. Auguſt.* - - 198
REIS (Jo. Caſpar) *Chirurgus.* - 189
RIEDLINUS (Vitus) *Medicus.* - 108
ROMEL (Baruch Loth) - - 82
ROSNER (Jo. Georg. Ehrenreich) *Medicus.* - - - 189
ROTHMALER (Ludovicus) *Medicus.* 110
RUDOLPHUS, *anno* 1301. - 203
RUMLERUS (Jo. Udalricus) *Medicus* 48
SCHROECKIUS (Lucas) *Pater, Medicus.* - - - 48
SCHROECKIUS (Lucas) *Filius, Medicus.* - - - 49
Steudnerus (Joannes) - 50
THELOTT (Iſrael) *Medicus.* - 90
THURMIUS (Jo. Jacobus) *Philoſophus.* 203
TOMANUS (David) *Jurisconſultus.* 210
VERBEZIUS (David) *Medicus.* - 108
WEBER (Ignatius) *Ord. Præmonſt.* 218
WEISBRUCKERINN (Anna) - 219
WELSCHIUS (Georg. Hieronymus) *Medicus & Polyhiſtor.* - 110

WIDE-

Digitized by Google

WIDEMANNIN (Barbara) *Obſtetrix.* 190
WIDEMANNUS (Carolus) *Medicus.* 82
WIDEMANNUS (Franciſcus) *Chirurgus.* 190
WIDEMANNUS (Georg. Sebaſtianus) *Medicus.* - - 83
WIDEMANNUS (Marcus) *Medicus.* 83
WILDE (Ieremias) *Poeta.* - 85
WIRSUNGUS (Jo. Georgius) *Medicus* & *Anatomicus.* - - 90
Wirſungus (Chriſtophorus) - 90
ZEILNERINN (Helena) - - 219

Pag. 14. *Lin.* 3. Lege *Explicatione.*
Pag. 136. *Lin.* 24. Lege *elegorum.*

Digitized by Google

ADLER (*Caſpar*)

De *Adlero*, vel (nomine in Latinum verſo) *Aquila* ut brevior ſim; Joannes AVENARIUS Superintendens *Gerœ*: *Joannes Gottlieb* HILLINGERUS Superintendens *Saalfeldæ*: & *Chriſtianus* SCHLEGELIUS faciunt; qui omnes in *Vita* ac *Scriptis Noſtri* deſcribendis multam operam poſuerunt. *Primus* labores ſuos anno 1718. *Secundus* anno 1731. publicîs typîs vulgaverunt. *Tertii* Commentarius *de Vita C. Aquilæ*, poſt mortem Auctoris, curâ *Zeitzſchelii* Paſtoris, cum *Erneſt. Salom. Cypriani* Præfatione, amplo in 4. Volumine annô 1737. *Francofurti ad Moenum* prodivit in lucem. Poſt hos ego ſatis habeo, præcipuas Vitæ *Adleri* circumſtantias paucîs commemorare.

Natus *Auguſtæ* anno 1488. ad diem 7. Auguſti, poſtquam in *patria* atque *Ulmæ* optimis vacaverat litteris, in *Italiam* ſtudiorum proſequendorum gratiâ abiit. Inde redux, in *Helvetia*, maxime vero *Bernæ* manſit, ubi anno 1514. Concionatoris munus ſuſcepit. Sed id non multò poſt

Digitized by Google

abdicans petiit *Lipſiam*: ubi haud diutius moratus â *Franciſco de Sickingen* annô 1515. in caſtrenſem Concionatorem adoptatur. Succedente tempore parochiam *Jengæ*, pago non longè ab *Auguſta* diſſito, regendam accepit. Sed cum *Lutheri* dogmata temere ſpargere cœpiſſet, primis ejusdem aſſeclis, fautoribus, συνεργοις ſeſe jungens, quin et uxorem thalamo ſibi ſociaſſet, juſſu Epiſcopi *Auguſtani Dillingam* avectus hyemem in cuſtodia transegit. Dimiſſus ê carcere *Wittebergam* fugit, annóque 1521. *Magiſterii* gradum ibi cepit. Subin rurſus aliquanto tempore apud memoratum *Franciſcum de Sickingen*, & præcipue in illius arce *Ebernburg* ſe tenuit. Anno 1523. *Eiſenacum*, inde *Auguſtam* venit: revectusque in Saxoniam *Wittebergæ* linguam hebraicam docuit, *Lutherum* vetus Teſtamentum traducentem juvit, inque arcis templo diebus dominicis & feſtis ad concionem dixit. Anno 1527. Paſtor, & interjecto aliquanto temporis ſpatio etiam Superintendens *Saalfeldæ* nominatus fuit. His geſtis, anno 1530. *Auguſtam* denuo venit, Comitiis Imperii interfuturus: in quibus cum INTERIM publicaretur, ipſe inter primos exſtitit, qui huic ſe *Formulæ* oppoſuêre. Qua re Imperatore *Carolo V.* ad iracundiam excitato, abire in exilium coactus, annóque dimidio â Comitiſſa *Catharina de Schwarzburg* in caſtro *Rudelſtat* occultatus eſt. Tandem *Schmalcaldiam* pervenit, ubi anno 1550. *Decanus* renunciatus eſt. Denique anno 1552. *Saalfeldiam*, ut priſtinum *Superintendentis* munus capeſſeret, revocatus in eo loco anno 1560. die 12. Novembr. vitam finivit.

Hæc

Hæc Vitæ *Adleri* ſynopſis — Reliqua Lector, naſcentis *Lutheraniſmi* initia, & primorum eius diſſeminatorum conamina penitius noſcendi avidus, ex tribus â me in limine *Narrationis* huius citatis *Auctoribus* facile intelligere poterit.

BECKIUS (*Matthias Fridericus*)

Virum hunc vere eruditum erudito orbi *Kaufbura*, imperialis *Sueviæ* civitas anno 1649. die 23. Maji dedit, genitum patre *Matthia Beckio*, qui *ibidem* per annos fere 50. Parochi & Concionatoris munus geſſerat *). *Noſter* prima litterarum fundamenta in patria domî, ſubin *Memmingæ* jecit; usque dum anno 1660. in *Auguſtanum* Gymnaſium ad *S. Annæ* miſſus eſt. Ibi primò victu & diſciplina Rectoris *Matthiæ Wilhelm* uſus eſt: poſtea in *Collegium evangelicum*, cui tum *Steudnerus a*) & *Crophius b*) præerant, venit: inter *Convictores* illius anno 1664. mox etiam anno 1665. inter *Alumnos* eiusdem receptus; ubi tantos in ſtudiis progreſſus fecit, ut anno 1668. in *Jenenſem* Academiam ablegandus cenſeretur. In iſto ſcientiarum emporio ſub *I. C. Hundeshagen*, *G. Götzio*, *C. Sagittario*, *J. Muſæo*, *Fridem. Bechmanno Philoſophiæ & Theologiæ*, partim etiam *Litteraturæ Orientali*, ducibus *Jo. Andr. Boſio* & *Friſchmutho*, indefeſſam locavit induſtriam;

*) De Patre *Noſtri*, familiaque *Beckiana* plura videre licet Lectorem curioſum in *Beyträge zur . . Schwäbiſchen Kirchen- und Gelehrten Geſchichte. I. B. I. St.*

a) De *Joanne Steudnero* infra pauca moneo in *Luca* SCHROECKIO *juniore*, in *Nota* (*e*).

b) De *Joanne Crophio* a me paulo poſt dicetur.

Digitized by Google

adeo, ut bienniô exactô (1670.) die 13. Sextilis *Magiſterii* honores capeſſeret. In eodem loco bina *de Novo Foedere* diſputatione cum laude perfunctus, *Auguſtam* venit, & ad concionem ê ſuggeſtu invitatus dixit, eaque re abs Proceribus haud mediocria *ſtipendia* ſibi comparavit. Igitur anno 1673. denuo *Jenam* reverſus ab eo anno *Philoſophica* & *Philologica* argumenta, quà *Præſes* ipſe, ventilavit, habitaque *de Eden*, *Ophir* & *Tharſis* ſolenni diſputatione promeritus eſt, ut in numerum *Adjunctorum Facultatis philoſophicæ* adlegeretur.

Belle cum his conſonant, quæ *Noſter* ad laudatum *Joannem Friſchmuthum*, cuius ſingularem erga ſe benevolentiam expertus fuerat, gratus ſcripſit *c*): *Magna tua, atque plurima beneficia ſunt. Tu ante hos quindecim annos* (1668.) *advenam me in tuas ædes benevole recepiſti. Tu lectionum tuarum auditorem me admiſiſti. Tu ſtudia mea academica, atque actiones direxiſti. Tu recluſo Muſæo, Apollonis quaſi ſacrario, familiariter tecum converſandi liberrimum aditum feciſti. Tu in Auditorium, tanquam in Martium campum, Præſes, me deduxiſti, & in diſputando vires meas exercuiſti. Tu & ſex Collegæ, ſeptem liberalium Artium digniſſimi Antiſtites, honores academicos mihi contuliſtis. Tu cum laudatis Collegis, præſidendi & privatas ſcholas aperiendi, poteſtatem feciſti. Tu cum iisdem in ampliſſimam Facultatem philoſophicam me Collegam & Adjunctum aſſumpſiſti. Tu denique in patriam remeanti, commendationibus tuis magnos mihi*

c) In *Nuncupatoria* ad *Paraphraſin chaldaicam*, 1683. excuſam.

mihi hîc (Auguſtæ) *patronos conciliaviſti: qua re inprimis de me meritus fuiſti.*

Dum *Noſter* in *Jenenſi* Univerſitate moratus eſt, alia inſuper oſtendendæ, quam ſibi acquiſiverat, doctrinæ occaſio ſeſe ei obtulit. Miſerant circa annum 1677. *Senior* & *Collegæ* reliqui *Miniſterii evangelici Erfordienſis* ad *Jo. Friſchmuthum* Profeſſorem *Jenenſem*, Codicem membranaceum vaſtiſſimæ molis, Cimelium inſigne, *Biblia* complectentem, in duo volumina diviſum manuque eleganti exaratum, *hebraico - chaldaicum*, data ampliſſima facultate, hunc theſaurum cum impreſſis libris, inprimis quoad accentus, conferendi: cui operæ cum *Erneſto Chriſtiano Zarvoſſi*, ex Judæo Chriſtiano, Viro Talmudice doctiſſimo, *Noſter* propitiâ fortunâ adhibitus fuit. Igitur dum *Codicem* hunc volvunt, revolvuntque; ecce! *Targum* ſeu *Paraphraſis chaldaica* duorum Librorum, *Chronicorum*, ad illud usque tempus inedita & a Viris philologis maximis deſiderata votis, eorum oculis ſeſe ſubjecit. Dici non poteſt, quam effuſe ea de re gaviſi ſint ambo. *Noſter* autem, utut aliis tunc gravioribus, aut certe magis neceſſariis ſtudiis diſtineretur, tamen temperare ſibi haud valuit, quin *Targum* hoc manu ſua exſcriberet: quod etiam poſtea typo obſtetricante producens in lucem novo Rem biblicam invento locupletavit, plurimum gratiæ abs Eruditis inde colligens.

Præterea *Noſter* in eadem Academia inter membra *Societatis Diſquirentium*, a *Joan. Andr. Boſio* anno 1672. inſtitutæ, adſcriptus fuit; uti plane credibile viſum eſt *Auctori* Libri: *Litterariſches*

riſches Muſæum. II. B. p. 379. ubi vide, et de fatis eiusdem *Societatis* plura (ſi lubet) intellige.

Sic elaborato ſtudiorum et occupationum academicarum curriculo remeavit *Noſter* in patriam, tranſiens *Auguſtam*, ubi iterum juſſu Superiorum anno 1677. de cathedra dixit. E patria non ita multo poſt, ſcilicet anno 1678. die 15. Junii *Auguſtam* revocatus eſt, munere *Diaconi* in Eccleſia, ùt aiunt, *Diſcalceatorum* ornandus. — *Noſter* vocatione acceptata, eò veniens, memoratum munus in ſe ſuſcepit, octodecimque annos ſuſtinuit: quibus transactis, anno 1696. die 29. Aprilis parochiam Valetudinarii *ad S. Spiritum* regendam obtinuit *d*); quam etiam ad vitæ finem usque rexit. Nam etſi plusquam ſemel in diverſas Academias vocatus fuerit, tamen *Auguſtam*, cui eruditionem ſuam maxima ex parte acceptam referre debuerat, omni celebritati academicæ antepoſuit.

Stabili ſede locatus BECKIUS, quod â puero fecerat, majori jam contentione faciendum ſibi, Muſisque impenſiùs litandum eſſe cenſuit. Ob eam rem amata ſtudia ſedulò proſequutus eſt, &, *cùm linguarum cultor eſſet indefeſſus* (quod de ſe teſtatur ipſe) *Litteraturæ Orientali* ferme totum ſe mancipavit; ex qua etiam ſucceſſu temporis maximopere inclaruit.

Atque qua ratione ad eam, quam ex Arabicæ potiſſimum linguæ cognitione retulit, famam eluctatus ſit, ipſemet docet in *Præfatione* ad *Specimen Arabicum* ſequentibus fere verbis: „ In Je„ nenſi quidem Academia, in qua per octennium „ ſtu-

d) V. Librum: *Miniſterium evangelicum Auguſtanum*, *in* 4.

„ ſtudiis vacavit, ſub *Joanne Friſchmutho* *) Lin-
„ guæ *Arabicæ* elementa addiſcere ſæpiùs exop-
„ taverat; ſed negotia, quæ plurima Virum il-
„ lum diſtrahebant, non permiſerê, ut voti com-
„ pos fieret *Noſter*. Quod ſi etiam privati Ma-
„ giſtri ludum *Arabicum* aperuerunt, atque ad
„ has amoeniores Muſas publice invitarunt, ſtu-
„ diorum ratio et aliæ magis neceſſariæ ſcientiæ
„ vetuerunt, ne illos audiret. Itaque contentus
„ cognitione Linguarum *græcæ* et *hebraicæ* (*Ad-*
„ *de, quæ huic maxime affinis eſt, chaldaicam*)
„ Academiæ valedixit, præclara ſe ſorte uſum
„ credens, dum ſuperiorum temporum infelicita-
„ tem ſecum reputabat, quibus ne hebraicæ
„ quidem linguæ Doctores commodi ſuppetebant;
„ quod ex parente ſuo audiviſſe ſe recordabatur,
„ qui jam ſeptuagenarius, quam in juventute de-
„ fitutus præceptore non didicerat, hebræam
„ linguam diſcere a filio minime erubuit. Inter
„ ita Hungaricum contra Turcas bellum incidit;
„ quod, cum feliciter gereretur, a militibus in
„ hyberna reverſis, multæ prædæ Muhammeda-
„ næ, utì in alias Imperii urbes, ita *Auguſtam*
„ quoque delatæ fuerunt, v. g. libri, ſchedulæ,
„ annuli, vaſa, &c. *Arabice* inſcripta. Quam ob
„ rem curioſi poſſeſſores, harum litterarum ſen-
„ ſum ignorantes, a *Noſtro* (earundem, ùt opi-
„ nabantur, perito) interpretationem ſibi flagita-

A 4 bant.

*) Hinc *Schurzfleiſchius*, dum ſcripſit: *Noſtrum* in *Arabicæ* et *Perſicæ* Linguæ cognitione præ *Friſchmutho* Præceptore excelluiſſe; ita intelligendus eſt: ut *Friſchmuthum* Noſtri Præceptorem in multis aliis ſcientiis, minime tamen in Linguâ *Arabicâ*, fuiſſe dicamus.

Digitized by Google

„ bant *e*). Itaque ne ſpes illorum falleretur, *No-*
„ *ſter* Grammaticam *Arabicam* ſtudioſius, quam
„ antea, legit relegitque, ejusque præcepta ac
„ regulas horis ſubſecivis accuratius addidicit;
„ ut Proximo pro modulo notitiæ, etſi multo uſu
„ atque experientia diuturna necdum confirmatæ,
„ gratificaretur. In eundem finem, *Arabum* Lin-
„ guam magis ſibi familiarem redditurus, ipſum
„ *Alcoranum*, quem propter ſtylum atque elegan-
„ tiam ſermonis Muhammedani ſummis laudibus
„ extollunt, evolvere, legere, atque interpretari
„ ſecum decrevit: primumque ſuorum in hac ma-
„ teria laborum fructum publicavit anno 1688.
„ *Specimen* ſcilicet *Arabicum*, veſtigia ſecutus *E-*
„ *duardi Pocockii* Angli, atque *Jo. Fabricii* Ger-
„ mani; quos tamen Viros, *Pocockium* præcer-
„ tim, inſignes Linguæ *Arabicæ* Doctores exti-
„ tiſſe monuit, ſe vero illius tyronem duntaxat,
„ idque non niſi meticuloſe, pro ſua modeſtia,
„ profeſſus eſt.

Neque verò *Græci*, *Hebraici* & *Arabici* tan-
tùm ſermonis (Sileo ſtudioſe *Latinum*, *Gallicum*, *Italicum*) quam intelligentiſſimus fuit *Noſter*; ſed etiam *Chaldaicam*, *Samaritanam*, *Syriacam*, *Æthiopicam*, *Perſicam*, ac *Turcicam* linguas maxime calluit. Ex quibus facili negotio concludes, Lector! longè digniſſimum fuiſſe BECKIUM, quem *Magliabechius* Florentiæ, Comes *Borromæus* Patavii,

e) Inter alios *Joann. Chriſtoph.* ADELMANN *ab Adelmannsfelden* Princeps & Præpoſitus *Elvacenſis* aliquot Libellos *arabicos*, expugnatæ *Budæ* prædam, videndos *Noſtro* commiſit: quos inter Libellus *Precum Turcicarum* quoque fuit &c. V. *Specimen* Noſtri *Arabicum*, *p.* 33.

vii, Joannes *Kalchi* Venetiis, *Acoluthus* Vratislaviæ, *Crenius* Amſtelodami, *Wallifius* Oxoniæ, & omnis Doctorum turba magni æſtimaret: Virique eruditiſſimi ſplendidis encomiis exornarent.

C. S. Schurzfleiſchius appellat eum, *Virum ad ornandas Orientis litteras natum, qui, quantum induſtria poſſet, experiri ingeniò voluit, nulla aut difficultate aut moleſtia retardatus.* Idemque *f*) honorifico *optimi Germaniæ Arabis* titulo eum condecorare non omiſit. *J. G. Schelhornius g*) inter *Suevos* meritis in Orientalem Litteraturam claros non ſine multa laude, idque meritò, repoſuit, addens: *Huic omnis Litteratura Orientalis multum debet, præſertim Arabica.* Pariter *Göxius* Superintendens *Annæbergenſis h*) eum *meritiſſimum de Re litteraria Virum* vocat. *Rudolph. Martin. Meelführerus i*) appellat *Orientalis Litteraturæ Antiſtitem.* Multa etiam cum laude *Noſtri* mentionem *Jo. Mich. Langius k*) facere non intermiſit. Similiter *Imbonatus* in *Biblioth. latino-hebraic. p.* 437. *n.* 1277. jure eundem memorat. Præterea *Noſtrum* linguarum *Arabicæ* & *Perſicæ* intelligentiâ didaſcalum quondam ſuum *Friſchmuthum* multùm ſuperâſſe: & ob doctrinam, quâ valuit, univerſim ſpectatam â *Poruſſorum* Rege, poſtquam eidem Principi *Ephemerides Perſarum* dicaverat, annuâ pecuniæ ſummâ donatum fuiſſe, alicubi connotatum inveni.

f) In *Epiſt. Arcan. T. II. p.* 315.
g) In *Amoenit. litter. T. XIII. p.* 253.
h) In *Diſſertat. de Centurione ſub cruce Chriſti.*
i) In Diſſertatione: *Jeſus in Talmude.*
k) In *Specimininibus, & Conatibus variis Virorum doctorum in edendo* Alcorano. *pag.* 26.

Digitized by Google

Sed teſtimoniorum ſatis; quorum quisquis plura deſiderat, adeat *Jo. Bern.* LUHNII *Memoriam Matth. Frid. Beckii ab oblivione vindicatam*, in 4to. *Wittebergæ*. Librum: *Litterariſches Muſæum. Vol. II.* Librum: *Vermiſchte Beyträge zur Schwäbiſchen Kirchen- und Gelehrten-Geſchichte. I. B. I. St. p.* 113. Ego ad reliquas *Vitæ* Noſtri circumſtantias, corporisque & animi habitum deſcribenda tranſeo.

Etſi *Beckius* primùm vitam ducere cælibem, ſecum cogitarit; poſtea tamen tum conſuetudine tum amicorum ſuaſionibus permotus mentem mutavit, et *Roſinam Kaltſchmidiam* connubio ſibi junxit, e qua plures liberos ſuſcepit, tres filias et filios duos, quando vitâ exceſſit, patri ſuperſtites relinquens.

Corpore fuit firmo, ſtaturâ mediocri ac ſpectabili, capillis badiis, iisque ſubcriſpis, plana et ſerena fronte, nigricantibus oculis, naſo ad aquilinum accedente, ore mediocri, barba et mento conveniente.

Fuit *in reprehenſione ſeverus; in admonitione blandus; in colloquio modeſtus, providus, hilaris.* Fuit *prudens; haud aliena, ſed enim ſua curans; humanus præcipue erga iter facientes, aut operâ ſuâ indigentes; beneficus; liberalis, et præ omnibus inſigniter diligens in ſtudiis atque litterarum cultu.* In quem finem etiam *Bibliothecam ampliſſimam, libris maxime philologicis & SS. Patrum monimentis ornatam, magnaque MSS. copia inſignem* ſuis uſibus inſtruxerat.

Jam de morte *Noſtri* paucis — Novem is circiter hebdomadas, ante vitæ exitum, ſtomachi doloribus malignaque febre correptus, ſed medico-

dicorum ope liberatus est; ita ut cathedram ei conscendere rursus liceret. Verum recidivam passus, nil jam proficientibus cunctis Medicorum conatibus anno 1701. ætatis vero 52. ad diem 2. Februarii morti occubuit.

Scripsit *Beckius* multa; sed pauca horum emerserunt in lucem: sive imminentis fati infausta festinatio: sive bellorum ea tempora infestantium calamitas: sive denique benefici cuiusdam Mecænatis (ut ipsemet in *Præfatione* ad *Specimen Arabicum* haud obscure innuit) *qui Interpreti impensis ac liberalitate sua ad labores, certe maximos, subeundos calcar adderet, penuria obstiterint; quò minus reliqua foras prodirent.* Edita autem *Nostri* sunt:

I. *De Foedere novo, super illustri Vaticinio*: Ieremiæ 31, 31. 32. *Dissertatio prior &c. Jenæ.* 1671. Dicavit *Curatoribus Templorum & Scholarum Administratoribus, Collegiique evangelici Augustæ Adjunctis.*

II. *De Foedere novo Dissertatio posterior. Jenæ.* 1671. Inscripsit *M. Matth. Beckio* patri: *Eliæ Zeidlero* præceptori quondam suo, & *Jo. Jac. Beckio* fratri. In fine habetur Epistola *Frischmuthi* ad *Nostrum*, in qua eum *Inquilinum carissimum* vocat: eiusque in *Rabbinicis* diligentiam collaudat.

III. *Exercitatio, eaque prior, contra Isaacum Abarbanelem Judæum, de nomine Edom, utrum eò Imperium Romanum, et universus Coetus Christianorum in Prophetarum vaticiniis innuatur* &c. 1673. *Jenæ.* Consecravit *Curatoribus Templorum* acatholicorum *Augustæ.*

IV.

Digitized by Google

IV. *Exercitatio, eaque posterior contra Isaacum* &c. *Jenæ.* 1674. Dedicatio *Nostri* ex Ædibus *Musæi* dirigitur ad *J. J. Müllerum*, *Theoph. Spizelium*, *C. J. Lauberum ICtum. Augustæ.*

V. *Quæstio moralis*: utrum Ethica peculiaris disciplina, an vero politicæ pars sit, et quomodo? *Jenæ.* 1675.

VI. *Schediasma hagio-geographicum de locis Eden, Ophir, atque Tarsis, pro loco in amplissima Facultate philosophica obtinendo. Jenæ.* 1676. Dicavit *Noster* rursus *Curatoribus Ecclesiarum et Administratoribus Collegii evangelici Augustani.*

VII. *Dissertatio de Lumine Naturæ. Respondente Zacharia Hase.* in 4. *Jenæ.* 1676. V. *Lipenii Biblioth.. philosoph.* et *Litterarisches Musæum. V. II. p.* 384.

VIII. *Paraphrasis chaldaica I. Libri Chronicorum hactenus inedita & multum desiderata nunc vero è Codice MSS. antiquo membranaceo Bibliothecæ Ministerii Erfordiensis A. C. exscripta. Cum Versione & Notis.* in 4. *Augustæ Vindelicorum.* Typis *Koppmaierianis.* 1680. Opus, de quo in *Vita, pag.* 5. pluribus dictum fuit, dicavit *Noster* Seniori, Pastoribus & Diaconis *Ministerii evangelici Erfordiensis.* Vide, si lubet, *Litterarisches Musæum. V. II. p.* 387.

Paraphrasis chaldaica II. Libri Chronicorum hactenus inedita & multum desiderata, nunc vero e Codice MSS. antiquo membranaceo Bibliothecæ Rev. Ministerii Erfordiensis A. C. exscripta. in 4. *Augustæ Vindel. Apud Theoph. Goebelium. Typis Koppmaierianis.* 1683. Dicavit *Jo. Frischmutho* Linguarum sacrarum in *Jenensi* Academia Professori &c. tanquam jure quodam eidem debitam; nam

nam et ab illo *chaldaicam* linguam didicerat *Noſter*, & *Codicem MSS.* deſcribendum habuit.

De hoc *Opere* ſcribit *J. B. Carpzovius l)* ſequentia: *Beckii Verſionem ac Notas in Paraphraſin chaldaicam prioris Paralipomenωn probare nemo non Eruditorum tenetur.* Et *Schelhornius m)* hac editione *Noſtrum de linguis hebraica et chaldaica optime meruiſſe* teſtatus eſt.

Laudat ſollertiam *Noſtri* in producenda *Paraphraſi* hac *Auguſtinus* quoque *Calmetus n)* ſequentibus: *Paraphraſis duorum Librorum Paralipomenωn, quæ ad annum 1680. latuerat, ſollertiâ M. F. Beckii feliciter reperta, duobus voluminibus* in 4. *edita fuit. Augsburgi*, 1680. Confer, ſi vis, *Le Longii Biblioth. ſacr.* Multis etiam de hoc *Noſtri* labore agunt *Eruditi Lipſienſes* in *Actis* ſuis, ad annum 1683. et *Litterariſches Muſæum. V. II. p.* 390.

IX. *Sendſchreiben an einen guten Freund von Verwandlung des Nahmen*: Epiſtola de Mutatione Nominis, in 4. *Augſpurg.* 1683. Adſcribit *Noſtro* Liber: *Miniſterium evangelicum Auguſtanum. p.* 156. Cauſſam ſcribendi hujus Libelli exponit *Litterariſches Muſæum V. II. p.* 397.

X. *Abbild- und Beſchreibung des Türkiſchen Haupt-Fahnens, welcher von denen des hochlöbl. Schwäbiſchen Reichs-Kreiſſes Auxiliar-Völkern in der jüngſthin eroberten Veſtung Neuhäuſel, gebeutet und zurückgebracht worden. Samt beygefügter Erklärung der darinn befindlichen Arabiſchen Schrifft*: Imago et Deſcriptio Vexilli Turcici primarii

l) V. *Schelhorn Amoenit. litter. T. V. p.* 214.
m) *L. c. T. XIII. p.* 254.
n) In *Biblioth. ſacra*, præfixa *Dictionario biblico.*

Digitized by Google

marii abs auxiliaribus Imperialis Circuli Suevici copiis in expugnatione oppidi Neoſolienſis nuperrima intercepti et reportati. Cum Exſplicatione Scripturæ Arabicæ in eodem contentæ. *Augsburg.* in 4. 1686. Vide *Litterariſches Muſæum. V. II. p.* 398.

XI. *Monumenta antiqua Judaica, Auguſtæ Vindelicorum reperta et enarrata: cum Mantiſſa III. Monumentorum Romanorum vetuſtorum, Operis Velſeriani de antiquis Monumentis Auguſtanis Appendice quadam. Auguſtæ Vindel.* 1686. in 8. *c. fig.*

Monumenta hæc digna cenſuit Vir in Antiquitatibus hebraicis illuſtrandis ferme omnium princeps, *Blaſius* UGOLINUS, quæ ſuo *Theſauro Antiqq. ſacrar. T. XXXIII. p.* 1000. inſereret. Vide etiam *Litterariſches Muſæum. V. II. p.* 399.

Ceterum huc referas velim, quæ de uno horum *Monumentorum Romanorum* monui in *Alphabeto II.* meæ *Bibliothecæ. p.* 215. 216. 217.

XII. *Martyrologium Eccleſiæ Germanicæ pervetuſtum, quod per DCC. annos delituit, e Bibliotheca Matthiæ Friderici Beckii, ab eodem e membranis deſcriptum et libro commentario illuſtratum.* in 4. *Auguſtæ Vindelicorum.* 1687.

Notas *Noſtri* ad hoc *Martyrologium* doctiſſimas eſſe affirmat *Goetzius l. c.* Confer *Schelhornii Amoenit. litter. T. III. p.* 76. 77. & *Acta Eruditorum Lipſienſium*, ad annum 1688. fuſius de hoc *Martyrologio* differentia. Adde *Litterariſches Muſæum. V. II. p.* 401.

XIII. *Specimen Arabicum; hoc eſt: Bina Capitula Alcorani. XXX. de Roma: & XLIIX. de Victoria, e IV. Codicibus MSS. Arabice deſcripta,*

ta, *Latine versa*, & *Notis Animadversionibusque locupletata. His nostris temporibus, quibus Imperium Romano-Germanicum Victorias contra Muhammedanos prosequitur, accommodatum Argumentum.* in 4. *Augustæ Vindel.* Sumptibus *Laurent. Kronigeri* & *Theoph. Goebelii* Hæredum. *Typis Koppmaierianis.* 1688.

In *Præfatione* Linguam *Arabicam* amplissimam esse, et ex ea multa Vocabula hebræa feliciter exponi posse: atque ob id cognitionem Linguæ *Arabicæ* Philologo et Interpreti Scripturarum non ornamento solum, sed et emolumento esse monet. Describit subin *quatuor* Codices, quibus usus fuit, nimirum I. Codicem Octaviani Augusti *Langenmantelii* Duûmviri *Augustani.* II. et III. Codices, illum a Leonardo *Weissio* itidem Duûmviro: hunc ab Antonio *Reisero* publicæ Bibliothecæ *Augustanæ*, oblatos. IV. Codicem suæ ipsius Bibliothecæ.

Addit, in hoc *Specimine* Textum *Arabicum* charactere hebraico expressum esse, non consilio sed necessitate suadente; videlicet quia officinæ typographicæ *Augustanæ* litteris *Arabicis* destituebantur. Quod institutum, Judæorum orientalium (quibus *Arabica* lingua vernacula est & usitata) quidquid *Arabice* concipiunt, Hebraicis litteris scribentium: & *Eduardi Pocockii*, qui hoc ipsum non sine gravi causa fecerat, exemplô defendit, addens tamen Alphabetum hebraicum & arabicum; ut quæ *hebraica* cui respondeat *arabicæ* litteræ, Lector melius nôsset.

Confer *Litterarisches Musæum. V. II. p.* 406.

XIV. *Ephemerides Persarum per totum annum, juxta Epochas celebriores Orientis*; *Alexandream*, *Chri-*

Digitized by Google

Chriſti, *Diocletiani*, *Hegiræ*, *Iesdegirdicam & Gelaleam &c. E Libello Arabice*, *Perſice*, *atque Turcice manuſcripto*, *prædâ militis Germani ex Hungaria*, *nunc Latine verſæ et V. Commentariorum Libris illuſtratæ a Matth. Friderico Beckio.* in folio. *Aug. Vindel. Typis Jac. Koppmaieri.* 1696. V. *Catalogum Bibliothecæ Bünavianæ*, *T. II. p.* 141. Dicavit *Friderico* Poruſſiæ Regi.

Ephemeridum harum editione omnium calculos meruiſſe *Noſtrum*, tradit *Schelhornius l. c. p.* 254. Laudatus *Schurzfleiſchius* o) monuit: *M. Beck*, *ein Prediger in Augſpurg*, *ein vortreflicher Arabs*, *Calendarium arabicum ſcripſit*; *qui liber eſt optimus.* Fuſe de his Ephemeridibus agit quoque Liber: *Litterariſches Muſæum. V. II. p.* 410.

XV. *Diſquiſitiones philologicæ contra A. H. Francken* *) in 4. 1696. *Auguſtæ Vindelicorum.* Tribuit *Noſtro* ſolus Theophil. *Georgi* in *Bücher-Lexicon.*

XVI. *Notæ in Benjamini Tudelenſis Itinerarium.* Decreverat ſecum *Noſter* hoc *Itinerarium* edere, ſed morte præventus non edidit. Poſt obitum *Noſtri* Manuſcriptum Beckianum in *Spizelianam* Auguſtæ, ſubin in *Krafftianam* Bibliothecam Ulmæ translatum fuit: nunc extat in præclara Bibliotheca, quam ex dono *D. Treu* Univerſitas *Altdorfina* poſſidet; cujus Præfectus *D. Nagelius* vulgandarum *Annotationum Beckianarum* initium fecit editis *ſex philyris*, quarum unaquæque per modum *Programmatis*, die *S. Jacobo* ſacra, ad per-

o) V. *Wagneri Schurzfleiſchiana*, *p.* 178.

*) De *Aug. Herm. Francke* videri poterit *Jöchers Gelehrten-Lexicon*: & *Acta Eruditorum germanica*, ad quæ is provocat.

Digitized by Google

perpetuandam *Treuianæ Fundationis* memoriam publicè affixa fuit. V. *Litterariſches Muſæum*, *Vol. II. p.* 515 - 517.

Hæc de editis — Plura verò reliquit *Noſter* inedita, quorum catalogum ſi texuero, num operæ pretium facturus ſim, haud ſatis ſcio; quod eorum unquam videndorum ſpem omnem ſublatam eſſe, merito credam. Certe illorum evulgationi tum calamitoſorum, quæ vivimus, temporum circumſtantiæ: tum ipſe ſæculi noſtri genius magnopere obſiſtere videntur *p*): genius inquam ſæculi noſtri, qui ſeverioribus ſtudiis utplurimum faſtiditis, ad leviora converſus, in *luminoſa*, quam jactat, ſcientia ſua mire ſibi placet: multúmque in Scriptis levidenſibus, male doctam Criticen olentibus, quandoque etiam famoſis exarandis, cudendis, atque legendis occupatur. Juvabit tamen reſciviſſe, quæ Majorum noſtrorum diligentia? quinam laude pleni conatus? quæ doctrinæ ratio fuerit? Itaque ad rem —

1. *Benjaminis Tudelenſis Itinerarium cum Prolegomenis, Verſione nova atque Notis.* Huc referes, quæ ſupra *N. XVI.* dixi.

2. *Appendix annotationum, ad Paraphraſin Chaldaicam utriusque libri Chronicorum.*

3. *Reſponſa philologica ad variorum Quæſita curioſa.* Verſantur maxime in elucidandis annulis, amuletis, vaſis, terris ſigillatis, *arabice* ac *turcice* inſcriptis &c. &c.

4. *Veteris Poetæ Hebræi Rhythmi de Juditha atque Maccabæis, ad illuſtrandos libros Apocryphos: cum verſione latina et notis.* 5.

p) Idem ſentias velim, Lector! de Anecdotis *G. H. Welſchii*, de quibus *inferius* à me agetur.

Digitized by Google

5. *Liber Evangeliorum Otfridi Monachi*, cum verſione collaterali, neoterica atque latina, & notis.

6. *Bibliotheca Arabica.*

7. *Concordantiæ ſacræ nominum propriorum gentilitiorum et patronymicorum, Dei, idolorum, hominum, populorum, familiarum, menſium, terrarum, regionum &c. &c.*

8. *Menologium Ruſſicum, cum verſione latina.*

9. *Gloſſarium Ruſſico-latinum, ex Evangelio præſertim Marci collectum.* 4.

10. *Hiſtoria Reformationis ſuperioris Sæculi.*

11. *Gedanken über den eigentlichen Verſtand der Worte Chriſti*, Luc. XIIX. *Wenn des Menſchen Sohn kommen wird &c. &c.*

12. *Sciagraphia Diatribes de Papyro Sec. XV. et vicinæ ætatis; quando ars typographica dudum Germanorum inventum eſt repertum.*

13 *Index hiſtorico-geographicus in Martyrologium Romanum.*

14. *Libri duo de Prophetis atque Prophetiis, ex Abarbanelis Commentariis adornati.*

15. *Diſſertatio philologico-moralis de VII. Noachidarum Præceptis.*

16. *Liber de Monetis Hebræorum.*

17. *Varia, manu M. F. Beckii ſcripta*, nimirum; Index Vocum & Rerum in Biblia Baſileenſia. Index Auctorum et Rerum, quæ in Abarbanelis Commentario ſuper Prophetas priores & poſteriores continentur. Index Auctorum, Rerum et Verborum, quæ in En et Beth Iirad continentur. Index vocum anomalarum explicatarum in Buxtorfii Theſauro, juxta ſeriem Librorum biblicorum. Lexicographus hebræo-philoſophicus, logicus, ex Logica ſapientis R. Simeonis concinnatus

natus. Doctores Ebræorum priſci, Talmudici præſertim. Index perſonarum, urbium & rerum ſuper Itinerarium Benjaminis, cum aliis.

18. *Gloſſarium chaldæo-ebræo-teutonicum Anonymi Judæi Germani &c.*

19. *Necrologium.*

20. *Itinerarium R. Petachia.*

21. *Faſciculus Rerum geographicarum, manu M. F. Beckii.*

Quisquis horum *Anecdotorum* accuratiorem notitiam comparare ſibi voluerit, conſulat Librum, ſæpius jam laudatum: *Litterariſches Muſæum, Vol. II. p.* 515-535. ubi ſingulorum argumenta, conditio, fata, poſſeſſores &c. diſtinctiſſime enarrantur: inſuperque *p.* 535. — 544. Elenchus *Operum à Noſtro promiſſorum* adjicitur. Quæ omnia ob cauſſas ſuperius indicatas hôc locô reſcribenda minime cenſens, finio.

CROPHIUS | *Joannes* | *Pater*
CROPHIUS [*Joann. Baptiſta*]
CROPHIUS [*Philipp. Jacob.*] *Filii.*

Joannes CROPHIUS patre, cui itidem *Joannis* nomen fuit, anno 1636. in dias luminis auras prognatus eſt. De adoleſcentia ejus et ſtudiis nihil aut parum conſtat. Percelebri Argentoratenſium Profeſſori *Jo. Henrico Boecklero* operam dediſſe *Noſtrum*: *Philoſophiæ Magiſterium* obtinuiſſe: et *Poetæ Cæſarei laureâ* condecoratum fuiſſe, certis indiciis comperivi *a*). Docuit in

a) Vide *Præfationem* ad Opus *Biblicarum Iconum V. et N. Teſtamenti* à *Melchiore Kyſel* in ære ſcalptarum, et anno 1679. vulgatarum *Auguſtæ*. in 4.

Digitized by Google

Gymnaſio *Annæano Auguſtæ*, teſte filio *Philippo Jacobo*, qui ad annum 1657. in Libro: *Hiſtorie des Gymnaſiums zu St. Anna in Augsburg. p.* 104. *Noſtri* meminit.

Aliquot annos poſt *Collegio Evangelico*, quod in eadem urbe extat, præeſſe juſſus eſt. Docet hoc *Jacobus Bruckerus* in *Commentario de Vita et Scriptis Eliæ Ehingeri*, *pag.* 29. dicens: *Cum Joannes Steudnerus anno* 1666. *vivere deſiiſſet*, *Alumnis Ephorus datus eſt Joannes Crophius*, *Vir clariſſimus*, *qui quâ eruditionis præſtantiâ*, *fideque ac dexteritate Collegio præfuerit*, *hoc noſtro adhuc tempore loquuntur Viri munerum et meritorum claritate inſignes*, *qui ejus inſtitutione ad artes et ſcientias addiſcendas feliciſſime uſi ſunt.*

Sicuti Poetam laureatum decet, verſibus tum latinis tum germanicis ſcribendis multum valuit. Vidi *Carmen* ejus germanicum *in obitum Georgii Mülleri* cujusdam *Reichenbacenſis.* in 4. Vidi item *Opus biblicum Kyſelianum*, de quo ante, multis millibus tum latinorum tum germanicorum verſuum à *Noſtro* ornatum; & ſi quæ forte ſunt alia, quorum memoriam tempus abſtulit.

Obiit anno 1686. ſepultus ad D. Annæ, cum ſequenti Epitaphio:

M. JOANNES CROPHIUS P. L. C.
NATUS AUGUSTÆ A. 1636. 7. JUN.
DENATUS IBIDEM A. 1686. 8. JAN.
JUVENTUTEM BONAS ARTES ET LINGUAS
IN HAC URBE DOCUIT CANDIDE, DEXTRE,
FUIT EPHORUS COLLEGII A. C. ANNOS 20.
HUIUS SÆCULAREM CELEBRAVIT A. 1681.
ANTEQUAM MEDIUM SÆCULUM IMPLERET,
IPSE, NE VANITATEM ULTERIUS VIDERET,
HEIC SE OCCULTAVIT.

POSUE-

Digitized by Google

POSUERUNT HOC MARMOR CONJUNX ET LIBERI MOESTISSIMI.

Poſt patrem de filiis Joanne Baptiſta, & Philippo Jacobo —

Joannes Baptiſta CROPHIUS *Argentorati* primùm ſub *Ulrico Obrechto*, Hiſtoriarum & Eloquentiæ Profeſſore, optimis litteris vacavit. Poſtea, gravî morbô exantlatô, ingruentes annô 1681. bellicas turbas vitaturus, in *Salanam* Academiam declinavit: in qua anno 1682. præſidente Profeſſore *Joanne Andrea Schmidtio* per modum Diſputationis Tractatum *de Antiquitatibus Macedonicis &c.* evulgavit; de quo inferiùs pluribus dicetur.

Exactô ſtudiorum curriculô, *Magiſterii* dignitate ornatus, domum rediit: ubi eum inter didaſcalos *Gymnaſii Annæani b*) ad annum 1686. invenio. Nec dubium, eum utpote ſingularî doctrinâ præditum muneri ſuo egregie præfuiſſe, & juventutem ſibi creditam optimîs præceptionibûs in Muſarum penetralia perduxiſſe.

Vergens in finem annus 1689. maximum *Noſtro* honorem contulit. Nam cum eo tempore *Leopoldus I.* Imperator Auguſtus *Auguſtæ* graviſſimorum negotiorum cauſſâ ageret, *Noſter*que Aulæ Cæſareæ innotuiſſet, factum, ut is Imperator *Joannem Baptiſtam*, ejusque hæredes utriusque ſexûs in perpetuum, in *S. R. I. Nobilium* Collegium cæſarea auctoritate adlegeret: axiomate *Jo. Baptiſt. Crophii à* KAYSERSSIEG donaret: *Comitibus palatinis*, ùt vocant, adſcriberet: aliisque

b) V. *Crophii Hiſtorie des Gymnaſiums zu St. Anna in Augſpurg. p.* 103.

Digitized by Google

præclaris privilegiis exornaret. Gratiæ huius conferendæ quæ cauſſa fuerit, liquet ex *Diplomate Cæſareo*, datô annô 1689. ad diem 14. Decembris *Auguſtæ*; ubi ſequentia leguntur: *Wir Leopold von Gottes Gnaden ... Bekennen für uns ... Wann wir nun gnädiglich angeſehen ... die ſonderbare Geſchicklichkeit, adeliche Tugend, Vernunft und Erfahrenheit, damit vor unſer kayſerlichen Majeſtät ..* Johann Baptiſta Crophius *ſonders berühmt worden: auch die angenehme, getreue und gehorſamſte Dienſte, ſo er uns und unſerm löblichen Erzhauß Oeſterreich .. erzeiget: beſonders aber ſeine unterthänigſte Devotion, die er gegen Uns und unſers geliebten Sohns und Königs Joſephi in Hungarn Liebden, wegen der ſowohl in Orient als Occident mittelſt göttlichem Beyſtand erhaltenen Victorien, durch einige* ſinnreiche Emblemata und in zehen verſchiedenen Europäiſchen Sprachen verfertigte Carmina aggratulatoria *rühmlich zu verſtehen gegeben &c. &c.*

Latine. *Nos Leopoldus Dei gratiâ ... Fatemur pro Nobis ... Cum itaque ad ſingularem dexteritatem, nobilem virtutem, prudentiam & experientiam, quâ* Joannes Baptiſta Crophius *Nobis innotuit: nec non ad grata, fidelia & obedientiſſima ſervitia, quæ Nobis atque Archi-Domui noſtræ Auſtriacæ .. exhibuit: præcipue vero ad ſubmiſſiſſimam devotionem, quam erga Nos & dilectum Filium noſtrum ac Regem Hungariæ, Joſephum (ob Victorias divino auxilio tam in Oriente quam Occidente reportatas) per* ſcita Emblemata & Carmina aggratulatoria diverſis decem Europæicis linguis expreſſa *laudabiliter oſtendit, clementiſſime reſpexerimus &c. &c.*

Hac

Hac dignitate auctus, his munitus privilegiis *Noſter* non diu poſt fratrem *Philippum Jacobum*, de quo mox dicam, ingenio pangendis verſibus aptiſſimo præditum, *Laurea poetica* donavit, eóque majori cum voluptate donavit, quòd optatiſſimam fraternæ charitatis hoc obſequii genere oſtendendæ occaſionem nactus eſſet. — Sed ad alia —

Jam ad *ſextam*, in Gymnaſio *San-Annæano*, *Claſſem* docendo proceſſerat; cùm inexſpectatum plane Neceſſariis & Familiaribus ſuis conſilium cepit, relictáque Lutheri doctrina ad Eccleſiam Romano-catholicam ſe retulit. Rem iſtam *Paul. Ambergerus* in *Diſſertatione II. de Meritis Reipubl. Auguſtanæ*, *p.* 70. ſequentibûs verbîs narrat: *Is noſtrum puriorem cœtum deſeruit, atque ad Romanenſium caſtra, neſcio quibus irritamentis excitatus, tranſiit.* At quibus de cauſſis hunc tranſitum fecerit *Noſter*, poſtea Librîs editîs patefecit; de quibus inferiùs pluribûs agetur. Ceterum *Joannes Baptiſta* haud contentus, ſeſe Catholicis junxiſſe ad clericalem quoque ſtatum animum adjecit, ſacríſque ſe Ordinibus initiari curavit *c*). Ad *Canonici* quoque (haud dubie, *Viennæ*) dignitatem evectus fuit; uti fidem facit citatus *Ambergerus l. c.* vocans eum, ſatis imperitè, *Canonicum irregularem*; cùm Eccleſia catholica nullos nôrit *Canonicos irregulares*; niſi forte ita per ſcomma dicantur.

Fuit *Noſter* Vir impenſe doctus; id quod Libri ab eo vulgati ſatis clare oſtendunt: et Eruditorum

c) Vide Titulum Libelli à *Noſtro* editi: *Unwiderſprechliche Schlußreden &c.* 1710.

torum teſtimonia, mox in medium producenda, belle confirmant.

Hoc in loco reſtat monere, *Noſtrum* anno labentis ſæculi huius vigeſimo ſecundo (1722) humanis rebus valedixiſſe.

Libros â *Crophio* noſtro typîs procuſos repperi ſequentes *d*):

I. *Antiquitates Macedonicæ, ſive de Regio Macedonum Principatu, Moribus atque Militia.* in 4. *Jenæ.* 1682. Quanti hunc *Noſtri* laborem fecerit magnus ille GRONOVIUS, (non *Grævius*, ut perperam *Bruckerus* in *Miſcellaneis* ſuis ſcripſit) manifeſte prodidit, dum illum doctiſſimis aliorum eruditiſſimorum Virorum fætibus conjungens ſuo *Theſauro Antiquit. Græcar. T. VI. p.* 2855. inſeruit. AMBERGERUS, claris Theologis Auguſtanis *Noſtrum* aſſocians, ait: hunc fætum *certe eruditum* eſſe. *Anſelmus* BANDURUS, etſi *Noſtrum* in *Bibliotheca nummaria, p. XLVIII.* male *Saxonem* faciat, tamen *inter Antiquarios, qui hæc ſtudia coluerunt, ob iſtas Theſes numerandum eſſe recte* pertendit, in quibus *Macedonum Regum Numiſmata aliquot rariſſima è Muſæo Caſparis Sagittarii in ænea tabella exhibuit breviterque expoſuit. Banduro* concinit STRUVIUS aut (ſi mavis) *Jo. Georg.* MEUSELIUS in *Bibliotheca hiſtorica Vol. III. P. II. p.* 236. *Jacob.* BRUCKERUS in *Miſcellaneis, p.* 515. Virum vocat *veteris litteraturæ cognitione præclariſſimum, cuius nobile ſpecimen eſſet Antiquitates* iſtæ.

II.

d) Utrum *Emblemata & Carmina gratulatoria*, quorum *Diploma cæſareum* mentionem facit, excuſa fuerint, dicere haud poſſum.

Digitized by Google

II. *De Normannis, Siciliæ Neapolisque Dominis.* De hoc AMBERGERUS ſcribit: *Nota etiam eſt Diſquiſitio de Normannis &c. quam anno* 1684. *edidit.*

III. *Franzöſiſcher Sack-Spiegel. c. fig. Augſpurg.* 1691.

IV. *Chriſt-geſinnte Erinnerungen an ſeine ſowohl Gemüths- als Gebrüthsfreunde in- und auſſerhalb Augſpurg von dem feſten und unbeweglichen Grund der wahren chriſtlichen Religion, das iſt: von der Unfehlbarkeit der ſichtbaren katholiſchen Kirche.* in 12. *Augſpurg.* Habuerat *Noſter* cum *D. Andrea* HARDERO Miniſterii Auguſtani Seniore, & *D. Gottfrido* LOMERO amicum de Religionis capitibus quibusdam colloquium. Hoc occaſionem memorati *Libri* ſcribendi *Noſtro* præbuit: cui cum nullus Acatholicorum reſpondiſſet, ſubmiſit alium *Libellum* inſcriptum:

V. *Wiederholte Anrede. Augſpurg.* 1696. Siluerunt rurſus Acatholici usque ad annum 1699. quô ipſô in ſcenam prodiit *D. Tobias Pfannerus* editô Libellô: *Gegen-Erinnerung auf Joh. Baptiſt. Crophii Erinnerung von Unfehlbarkeit der ſichtbaren katholiſchen Kirche.* Qui, etſi Opus ſuum SS. Patrum ſententiis repleverit, nihil tamen promovit; cum ipſum Controverſiæ caput minùs attigerit. *Pfannero* ſe junxit *Jo. Bapt.* RENZIUS *e*) Miniſter evangelicus, qui binis Scriptis: (1. *Wie die Römiſch-Katholiſchen angerühmte Mirackel zu unterſuchen und zu beantworten ſeyen.* 2. *Ehre der wahren Kirche*) Noſtrum impetivit, minime tamen

e) De viro hoc eiusque Scriptis vide, ſi libet, Librum: *Miniſterium evangelicum Auguſtanum, p.* 161.

Digitized by Google

men vicit; quod nec ipse in imum propositæ Controversiæ descenderit.

VI. *Unwidersprechliche Schlußreden von der Unfehlbarkeit* (non: *Unsichtbarkeit*; ùt male *Ambergerus* habet) *der sichtbaren katholischen: und Nichtigkeit der unsichtbaren vor Luthero vermeynten Lutherischen Kirchen.* in 8. *Augspurg.* 1710.*) Opposuit hoc Scriptum *Noster* supra memorato *Pfannero*, qui vicissim *Nostrum* refutare conatus est, vulgans: *Erinner-und Anmerckungen über Crophii Schlußreden.* An ad hæc respondere *Crophius*, & utrum alia meletemata, durante ista Controversia, emittere operæ pretium duxerit, me fugit.

VII. *Von der Pietisterey: De Religione Pietistarum. Wienn.* 1700. Hunc Tractatum, recusum, anno 1710. Libro mox memorato: *Unwidersprechliche Schlußreden* annexuit.

Consuli de *Nostro* poterit Liber: *Unschuldige Nachrichten von theologischen Sachen. T. VI. p.* 225. *T. XI. p.* 800. *T. XII. p.* 285. *T. XXV. p.* 749. Jam fidem datam liberaturo mihi

Philippus Jacobus CROPHIUS laudandus venit. Huic elogium ante me scripsit *Jacobus* BRUCKERUS *f*), quem proin maxime sequi juvat; eo magis quod ille res *Nostri*, utpote sui primùm præceptoris, deinde per annos 30. familiaris, denique soceri, maxime omnium perspectas ac cognitas habuit. Sequar autem ita, ut, quæ â me observata fuerunt, studiose vel interseram, vel addam.

lbat

*) *Hanc* editionem meis vidi oculis. *Primam* autem anno 1700. exiisse, credibile mihi videtur.

f) In *Miscellaneis Historiæ philosoph. litterar. critic. p.* 513.

Digitized by Google

Ibat annus â parta per Chriſtum ſalute M. DC. LXVI. cùm urbs *Auguſta* Noſtrum III. Non. Septembr. orbi erudito dedit. Is fratris monitus exemplis, patris formatus aptiſſimis inſtitutionibus (cùm a naturâ accepiſſet, ut omnia facile caperet, accurate diuque retineret, & recto uſui aſſervaret) in ſtudiorum curriculo ductu didaſcalorum Athenæi *San-Annœani*, præprimis Rectoris *Georg. Friderici* MAGNI diligentiâ ita profecit, ut anno 1686. ineunte vere in *Jenenſem* palæſtram, non ſine ſpe certa ſecuturi progreſſûs egregii, mitti potuerit.

At heu! priusquam eò iret, patre orbatus, triſtia quæque ſtudiis ſuis metuere compulſus eſt. Sed leniit metum hunc tum Auguſtanorum Procerum pietas, quos erga ſe benevolentiſſimos expertus eſt: tum Profeſſorum, quos *Jenam* delatus habuit, eruditio ac favor. Itaque ibi â *D. Baiero* placita theologica, â *D. Danzio* linguæ hebraicæ elementa, â *D. Sagittario* principia hiſtoriæ, â *D. Schubarto* dicendi artem, denique â *Joanne Andrea Schmidtio g*) philoſophiæ ac matheſeos præcepta addidicit ea diligentia eaque animi contentione, ut bienniô exactô, ſub præſidio mox nominati *J. A. Schmidii*, Diſputationem ſuo Marte conſcriptam *de Gymnaſiis Athenienſium litterariis* publico judicio ſubjecerit, quam *Jac. Frid. Reinmannus h*) ſequentibûs deprædicandam ſibi

g) Hic, cum exul et orbus eſſet, *Auguſtanorum* Optimatum beneficentia in *Collegium Evangelicum* aſſumptus fuit; ubi per *Joannem Crophium* Ephorum, patrem *Noſtri*, bonis litteris erudito jam licuit, gratas vices parenti in filio rependere.

h) In *Idea Syſtemat. antiq. litter. P. II. p.* 84.

Digitized by Google

ſibi ſumpſit: *Ita Auctor hæc Gymnaſia deſcripſit, ut omnibus ejusmodi argumentum in poſterum occupaturis exemplo eſſe queat.*

Itaque *Magiſterii* honore anno 1688. menſe Octobri auctus, *Lipſienſes* quoque Muſas inviſere ex ſuorum conſilio conſtituit: ubi per annum ferme verſatus, audito in Theologicis *D. Oleario*, cum ſumptus ingraveſcere & modicis facultatibus ſuperiores fieri ſentiret, *Jenam* reviſit, ea, quæ abs præceptoribus perceperat, ſedula lectione atque meditatione ad maturitatem perducturus. Quô negotiô dum ſedule occupatur *Noſter*, ex improviſo eius ſtudia imminens *S. R. Imperii Conventus* ampliſſimus, in quo *Joſephus I.* glorioſiſſimæ memoriæ Princeps in Regem Romanorum eligendus & inaugurandus fuerat, interrupit. Etenim ſapienter ſecum judicaverat *Noſter*, hæc Comitia ingenti hominum frequentia celebrari ſolita quoddam veluti vitæ theatrum eſſe, in quo omnis generis ac nationis mortales videre, eorumque inſtituta, leges, mores explorare liceret, ut quæ bona ſint adoptare, quæ mala, fugere diſcamus: atque ob id ipſum huiusmodi confluxus ad vivendi atque philoſophandi rationem omnem plurimùm utilitatis afferre. Ea re, & patriæ, quæ (neſcio) qua dulcedine trahere ſuos ſolet, reviſendæ cupiditate permotus anno 1689. menſe Auguſto *Auguſtam* rediit, de profectu ſuo Mecœnates et Patronos indiciis minime dubiis, atque egregiis ſpeciminibus certos reddens.

Et fauſtiſſimo ſydere domum rediiſſe, eventus comprobavit. Namque eo maxime tempore filio ſuo Illuſtriſſimus S. R. I. *Comes Georg. Hannibal ab Eck* & *Hungersbach*, Ducatûs Carinthiæ

thiæ & Marchiæ Vinidorum *Archi - Triclinus*, qui tunc Ratisbonæ ſedem fixerat, ſtudiorum moderatorem quærebat. Huic cum *Crophii* eruditio de meliori nota commendata, fors etiam perſona in *Conventu* viſa fuiſſet, eum in familiam ſuam adſcivit, & ſexennio tenuit. Quo toto tempore *Noſter* diſcipulum ſuum *Fridericum Julium* eâ curâ docuit: diſcipulus viciſſim eâ diligentiâ, quæ docebatur, didicit, ut habito publico examine, cui, quoscunque *Ratisbona* urbs *Imperii Comitiis* frequentiſſima habuit, Litterati intererant, omnium ſpem atque exſpectationem ſuperârit. Intra illud temporis ſpatium hoc quoque memoratu dignum accidit; quod *Noſter*, cùm mira facilitate, tum latina tum germanica Carmina fundendi, multis præſtaret, â fratre ſuo *Joanne Baptiſta*, quem *Palatii cæſarei Comitibus* adſcriptum fuiſſe *ſuperius* monui, *Laurea poetica* donaretur, quam patre ſic volente illuſtris diſcipulus didaſcali ſui temporibus lubens circumdedit.

Jam academicis ſtudiis maturuerat ingenium nobilis Tyronis. Jam Scholarcharum *Auguſtanorum* vocatio, cui plane parendum erat, anno 1695. exeunte Septembri ſcripta, præceptorem patrios reſalutare penates urgebat; cùm hic redire conſtituit. Unde herus illuſtriſſimus reverti eundem absque publico fidei & dexteritatis teſtimonio noluit, ſed convocatîs Virîs, & natalium ſplendore & doctrina conſpicuis, publica oratione unà cum filio Vale ſupremum dixit, & innumeris benevolentiæ teſtificationibus cumulatum honorificentiſſime dimiſit.

Auguſtæ redditus *Noſter* commiſſum ſibi in Athenæo *San - Annæano* docendi munus ſolenni Oratione: *De Harmonia ordinis ſcholaſtici & oeconomi-*

nomici, exorſus, atque ita profecutus eſt, ut, cum ineunte anno 1704. Rector Gymnaſii *Georg. Frider.* MAGNUS officiô ſuô decederet, in *Noſtrum* communî ſecretioris Senatûs & Scholarcharum ſententiâ (Nobiliſſimam namque *Auguſtanæ* Juventutis acatholicæ partem tum publica tum privata inſtitutione hactenus formaverat, eaque re parentum ſibi benevolentiam mire conciliaverat) & *regendi Gymnaſii* & *curandæ Bibliothecæ publicæ* cura delata fuerit.

Longum eſſet narrare, quam bene ſuas *Crophius* partes (præcipue triſtibus illis temporibus, quibus patriam *Mars Gallicus* premebat) egerit: quam aptam juventutis erudiendæ methodum ſectatus ſit, & quam commodas docendi vias inierit: denique quam laudabiles animi dotes atque virtutes ad ſcholaſticum munus contulerit? Quicunque de his omnibus edoceri diſtinctius cupit, adeat initio â me laudatum BRUCKERUM, qui iſta in *Miſcellaneis* ſuis prolixe exponere minime intermiſit. Mihi reliqua perſequi placet.

Docuit *Noſter* in Gymnaſio *Annæano*, ſimul ac præfuit eidem ferme dimidii ſæculi ſpatiô (Triennium deme) atque ita docuit: ita præfuit, ut maximas inde laudes â ſuis retulerit. Neque apud hos duntaxat, ſed exteros quoque maximam doctrinæ atque dexteritatis exiſtimationem obtinuerat *Noſter*. Certe quàm præclare de eo ſentiret *Societas latina Jenenſis*, aperte monſtravit, dum *Membris* ſuis honorariis illum adſcripſit. Quid, quod & Auguſtiſſimæ *Noſtrum* gratiæ condecorarint? *Joſephi I.* nimirum, et *Caroli VI.* quorum uterque *Crophium*, nummo aureo, ſacram ſupremæ Majeſtatis effigiem gerente, clementiſſime con-

do-

donandum duxit: prior, quòd ab eo *Carmine vernaculo* concelebratus: alter, quòd ab eodem, *Augustam* ingressus, humillima & devotionis submississimæ plena salutatione exceptus esset.

De corporis animique habitu *Nostri* — *Acceperat is à natura corpus robustum, faciem liberalem, frontem non scholastica severitate rugosam, sed humanitate ac lepore gratam et apertam. Sanitate autem usus erat firma, talique, quæ immensi laboris molestiam perferre posset. Unde quamquam a primo mane ad seram usque vesperam labore vere concatenato, eoque haud parum molesto obrueretur, et quotidie plerasque horas in pulvere scholastico volutaretur, a morbis tamen ad senectutem usque immunis conservatus est. Senex post febrem catarrhalem vertigine et asthmate vexari cœpit, quæ tamen senilis ætatis incommoda Medici providentia et sollicita uxoris cura feliciter levavit. Ingenium autem nactus erat largis à Numine dotibus instructum ac supra modum elegans. Et in judicando quidem cunctator interdum videri poterat (eo quod matura rerum experientia providentiam suaderet) certiori cuncta ac solido fundamento superstruens, excutiens omnia atque probe digerens. Ubi vero accurate rem omnem exploraverat, valde certus erat et solidas sententiæ rationes præ se ferebat. Ingenii autem (strictiori significatione ita dicti) tanta amoenitate gavisus est, qua gaudere homo potuit. Unde miram inventionis hylen animo servabat, et imagines rerum aptissime jungendo, in illis artibus præclare eminebat, quæ ab imaginandi virtute proficiscuntur. Hinc facilem largamque Carminis venam nactus est, et inprimis symbolicæ doctrinæ artificiò ita excelluit, ut cum paucis posset comparari. Prodierunt autem*

pau-

Digitized by Google

pauca apud Auguſtanos Opera, imaginibus artificum, quibus ea urbs abundat, condecorata, quæ non Crophianum *ingenium pulchre adjuverit i). Valde ergo ea cogitandi elegantia in ſermonibus quoque effulſit, quos miro lepore, et dicendi gravitate, jocandique acumine ſingulari temperabat, Veterum ſententiis aptiſſime ſuis locis adhibitis; quæ res, dici non poteſt, quantum ejus converſationem ſummis imisque commendaverit. Aſt cum utile dulci miſceret, nemo non melior ab ejus colloquiis diſceſſit. Unde factum, ut accedente canitiei reverentia, vultusque ſereni gravitate et decore omnibus plane venerabilis eſſet.*

Hæc BRUCKERUS, teſtis (puto) idoneus, de corporis animique dotibus, quæ *Noſtro* adfuerunt: qui inſuper de vitæ privatæ *Crophii* circumſtantiis ſequentia addit: Iniit matrimonium *Noſter* anno 1696. 17. Calend. Januar. cum *Regina Roſina Maria, Andreæ Harderi,* Paſtoris Annæani et Miniſterii evangelici Senioris filia unica. Suſcepit filios quinque, filias octo: harum quatuor honeſtis conjugiis elocavit. Ex filiis natu major in Academia Jenenſi neceſſariis ſcientiis eruditus, ſubin concionatorum in patriâ Collegio adſcriptus anno 1742. præmaturo fato diem clauſit extremum, trimeſtri poſt, quam pater (*Crophius* noſter) iſchuriæ oppreſſus morbo 9. Calend. Octobris mortalitatis exuvias depoſuerat: qui humatus

i) Teſtatur *Maſchius* in *Biblioth. Le-Longii emendat. & auct. T. IV. pag. ultim. ante Appendicem*: quendam *Crophium* edidiſſe, anno 1707. metrice *Epiſtolas et Evangelia* per annum; quibus chalcographus *Krauſius* imagines adjecit. Vix eſt, quod credere prohibeat, metra iſta ê *Noſtri* calamo fluxiſſe.

Digitized by Google

tus in templo *D. Annæ* ſubſequens accepit Epitaphium:

D. O. M. S.
TEGUNTUR HEIC OSSA
VIRI PLURIMUM REVERENDI,
AMPLISSIMI, CELEBERRIMI,
M. PHILIPPI JACOBI CROPHII
P. L. C.
GYMNASII ANNÆANI RECTORIS,
ET REIPUBLICÆ BIBLIOTHECARII:
QUI
CUM MAGNA FIDE ET DEXTERITATE
SCHOLÆ 47. ANNOS PRÆFUISSET, MERUISSETQUE,
COMMUNIS PATRIÆ PRÆCEPTOR,
APPELLARI;
POST EXANTLATOS LABORES,
FESSA HOC LOCO MEMBRA,
FUTURAM VITAM EXSPECTANS,
REPOSUIT.
NATUS
3. NON. SEPTEMBR. A. S. R. 1666.
DENATUS
COMMUNI PATRUM PATRIÆ, CIVIUMQUE LUCTU
9. CALEND. OCTOBR. A. S. R. 1742.
CONJUGI PARENTIQUE DULCISSIMO MOESTI
POSUERUNT
UXOR, LIBERIQUE SUPERSTITES.

Hæc fuerunt fata *Philippi Jacobi Crophii.* Scripta ejus autem repperi ſequentia:

I. *Das mit Krieges-Laſt gedrückte, und durch Wunderhülf erquickte Augsburg: oder wahrhafte und unpartheyiſche Erzehlung, was ſich vor-in- und nach der Belagerung und Bombardirung, auch währender Franzöſiſch-Bayriſchen Quartier-Zeit,*

Digitized by Google

nicht weniger bey der wunderbaren Befreyung, in der Stadt Augsburg zugetragen. in 4. *c. fig.* 1705. Editio (ſive reapſe, ſive ſolo titulo recuſo) ſecunda prodivit *ibidem* anno 1710. Ad finem *Narrationis* annectuntur neceſſaria, omnique fide digna *Documenta.*

II. *Hilaria ſcholaſtica, das iſt: Die dem löblichen Augſpurgiſchen Gymnaſio zu St. Anna von Gott gegönnete, und ... Anno* 1731. *d.* 5. *Decembr. wegen glücklicher zurucklegung des andern Seculi mit feyerlichſter Solennität celebrirte Jubel-Freude.* in folio. *Auguſtæ.* Scripſit hoc Opus *Noſter*, dicavitque Jo. Chriſtoph. *Ammano*, Wolf. Jac. *Sulzero*, Jo. Jac. *Bayero*, Leon. Frid. *Voit à Berg*, utpote *Scholarchis A. C.* Scribendi occaſionem *Jubilæum II.* erecti *Gymnaſii evangelici* præbuit. Comprehendunt autem *Hilaria* iſta, teſte *Jac. Bruckero l. c. p.* 531. ſpecimina luculenta: *quam facilem et elegantem Dicendi rationem tenuerit Crophius: quam Carminis latini ac germanici facultatem habuerit: inprimis quam feliciter in Inſcriptionibus (in qua Arte unus omnium facile regnavit) fuerit verſatus?* Addit idem *Bruckerus*: putare ſe, hæc ſpecimina ante oculos propoſita habuiſſe *Societatem Jenenſem latinam; dum Crophium albo ſociorum ſuorum honorariorum inſcripſit, rata, nonnihil decoris Inſtituto ſuo ex hoc Noſtri latinæ linguæ uſu & elegantia poſſe accedere.*

III. *Kurtze und gründliche hiſtoriſche Erzehlung von dem Urſprung, Einrichtung und den Schickſaalen des Gymnaſii zu St. Anna in .. Augſpurg.* in 8. *Augſpurg.* 1740. Conſecravit hoc Opus Wolf. Jac. *Sulzero*, Jo. Adolph. *Ammano*, Chriſtoph. *Kochio à Gailenbach*, Leon. Bened. *Ammano*, Paul. Jo.

Digitized by Google

Jo. *Marci*, Leon. *Ammano* Scholarchis, in animi de acceptis beneficiis grati monumentum. In *prima Sectione* exponit Auctor originem, ſtatum ac fata Gymnaſii. In *ſecunda Sectione* exhibet Catalogum omnium didaſcalorum ejus Gymnaſii ab anno 1531 — ad 1733. Tum de Rectoribus ejus Athenæi, illorumque Scriptis, Vita, ac Meritis fuſius agit. Debitis laudibus celebravit Librum hunc *Samuel Geſnerus* in *Programmate I. de Hiſtor. Gymnaſ. Rottenburgenſis*. Sed et *Bruckerum* audire juvat: „ Crophius nactus â parente ſuo haud pau„ ca *Schenckii*, *Wolfii*, *Heniſchii*, *Stamleri* de „ ſtatu Gymnaſii Scripta, eisdem multorum an„ norum ſtudio, atque tum ſuo tum aliorum la„ bore adjecit, quidquid res ejus ſcholæ illuſtra„ re poſſet. In qua ſylva cum haud pauca eſſent, „ quæ *Conſilia ſtudiorum* ſuppeditabant, â Viro „ ſummo *Hieronymo Wolfio* profecta, ea ſuis lo„ cis inſerere; Rectorum vitas, res, ſtudia, „ ſcripta enarrare: et non ſcholaſticam modo hi„ ſtoriam condere, ſed et *literarios Auguſtæ eru„ ditæ Annales* inſtruere cogitabat. Quod præcla„ rum conſilium ego, qui arctiſſimo amicitiæ et „ ſanguinis vinculo ei diu junctus fui, urgere, „ fovere; languentem excitare; in partes cura„ rum ſuccedere; et ita Opus maturare vehemen„ ter ſtudui. At et quidam Viri optimi metus „ difficultates nimium augere viſus eſt: et mo„ res cunctabundi, diuque omnia verſantes, ma„ xime vero quotidiani labores, quibus de alen„ da honeſte familia numeroſa cogitare adigeba„ tur, rem ſufflaminârunt. Quare ne optato et „ utili labore, in ſenio ingraveſcente, patria om„ nino careret, auctor ei fui, ut cuncta ſtrictim

„ enarraret; ſcholæ naſcentis et adoleſcentis fata, „ docendi rationes, methodos varias, et muta„ tiones atque viciſſitudines deſcriberet; biogra„ phias Rectorum adderet ... cuncta in compen„ dium cogens, rejectis digreſſionibus, quæ face„ re: & monumentis, quæ exhibere primò ſta„ tuerat, omiſſis... De cætero Liber, mole exi„ guus, eam obſervationum egregiarum ſyllogen „ complectitur, quam in majoribus voluminibus „ ſæpe fruſtra quæſiveris.“

VI. *Vita Joannis* WEIDNERI *k*) *Miniſtri evangelici*, vernaculè. Hanc congeſſerat *Noſter*, cujus poſt fata ex relictis ſchedis excerpta acceſſit *quintæ* editioni Libri à *Weidnero* compoſiti ſub titulo: *Kreuz-Schule oder 40. Betrachtungen vom Leyden Jeſu Chriſti.* in 8. *Augſpurg.* 1756.

V. Multa ſcripſit *Programmata*: multas *Comœdias*: multa *Carmina*: multas *Orationes*: aliáque hujus generis. Horum ê numero ante oculos habeo: 1. *Carmen funebre*, vernaculo ſermone concinnatum, in *Lucam Schroeckium juniorem*, Doctorem Medicinæ, cujus *Vitam* inferius deſcribam. 2. *Orationem funebrem* germanicam *in exſequiis Leonardi Weiſſii Duumviri Auguſtani* anno 1701. celebratis. *Caſtrum doloris & honoris Memoriæ*

k) De *Weidnero* conſuli etiam poterit Liber: *Miniſterium evangelicum Auguſtanum. p.* 175. Inter alia vulgavit is *Jenæ*, anno 1694. Diſſertationem *de Pietate in Nummis antiquioribus delineata*, quam *Anſelmus Bandurus* in *Biblioth. nummaria p. LXIV. non inelegantem* vocat, *in qua ſunt primùm æneæ Tabellæ II. Numiſmatum, in quibus Pietas expreſſa eſt, aut ejus ſymbola occurrunt, accuratiſſime cælatorum: deinde in illa Commentarius prolixior.*

Digitized by Google

moriæ Leonardo - Weiſſianæ ſacrum. in folio. c. figuris. Alia in *eundem.* 3. Horum ê numero eſt Liber, quem *Catalogus Biblioth. Bünav. T. III.* recenſet ſub titulo: *Ludos Auguſtales celebrans Auguſta, oder theatraliſcher Aufzug, in der Bibliothek bey St. Anna vorgeſtellt.* in 4. *Augſpurg.* 1717. At quis horum omnium numerum exprimat, aut recenſendo eadem Lectori exhibeat?

VI. Multas exaravit *Conſultationes* ad ſtatum rei ſcholaſticæ emendandum, ac promovendum attinentes; quas prælo digniſſimas eſſe, *Bruckerus l. c.* affirmavit.

Conferri præterea de *Noſtro* poterunt: *Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache. T. I.* & *Paul. à Stetten Kunſt - und Handwercks - Geſchichte von Augſpurg. T. II. p.* 314.

HAINZEL (*Joannes Petrus*) *à Degerſtein.*

HAINZELIO noſtro patrem *Joannem Baptiſtam*, matrem *Veronicam Im - Hofiam* fuiſſe, tradit P. *Reginbaldus Möhner* in *Stemmatographia MSS. Patritiorum Auguſtanorum*; ubi *Noſtro* præclarum GENEALOGI titulum attribuere non omiſit *a*).

Profecto quantum in *Genealogicis* promoverit HAINZELIUS, ſatis teſtatum reliquit PEIRESCIUS, magnum illud Galliæ litteratæ ſydus: qui in *Epiſtola* ad *Eliam Ehingerum*, Scholæ *Annææ Auguſtanæ* Rectorem, anno 1633. data *b*) ſequentibus *Noſtrum* dilaudavit:

a) De *Gente Hainzelia* univerſa videſis *Pauli à* STETTEN *Hiſtorie der Adelichen Geſchlechter von Augſpurg.*

b) Habes illam in *Schelhornii Amoenit. litter. T. III. p.* 266.

Digitized by Google

Il me reſte encore une priere à vous faire, pour apprendre (ſ' il eſt poſſible) par vôtre moyen, qu' eſt devenu un Gentil-homme de votre ville d' Augſpourg, que ſ' ai vû en ce païs icy dez l' an 1608. *en Iuillet. Il avoit nom* Jo. Petr. a Degerſtein, *cognomento* Hainzel, Armiger Auguſtenſis Rhœticus: *Il portoit par armoiries un eſpé miſe en bande, & avoit recueilli de fort curieux Memoires des Genealogies & Alliances de plus nobles & illuſtres Maiſons & Familles de l' Europe, & des origines des Armoiries. Et je ne vis jamais homme, qui en fuſſe plus intelligent & plus inſtruit, que celui-la: et tiens, que, ſ' il eſt encore en vie (comme je le ſouhaiterois) il faut qu' il ſoit au ſervice de quelque grand Prince. Mais je m' imagine, qu' un contra ſauvir c) à Augſpourg par quelqu' un de ſes parens le lieu, où il peut être, et l' état, ou il ſe trouve; quand bien il ſeroit habitué ailleurs au plus profond de l' Allemagne. Que ſ' il étoit à Augſpourg, je vous ſupplie de l' aſſurer de ma part, que je ſuis toûjours ſon ſerviteur: et que ſ' ai recouvré une infinité de pieces, qui ſeroient bien de ſon goust, & de ſa curioſité; dont je ſerois trés-aiſe de lui faire part en revanche de celles, qui lui plût me laiſſer à ſon paſſage par icy.*

Latine. *Reliquum eſt, orare te, ut (ſi fieri poteſt) tuâ operâ intelligam, quò devenerit veſtræ urbis Auguſtanæ Vir nobilis, quem in his oris jam anno* 1608. *menſe Julio vidi. Nomen ei erat* Joannes Petrus à Degerſtein, *cognomen* Hainzel, Armiger Auguſtenſis Rhæticus: *Inſignia* vero *Gladius*

c) Mendum typi fœdiſſimum, quod inferius haud male (Sit præfiſcine dictum) corrigo.

Digitized by Google

dius tæniæ inſertus: habebatque in unum collectas curioſiſſimas Memorias genealogicas, & connubiales nobiliſſimarum atque illuſtriſſimarum Domorum & Familiarum Europæ, nec non origines Inſignium & Armorum gentilitiorum. Haud vidi hominem, iſtô rerum harum peritiorem ac intelligentiorem: et, ſi adhuc in vivis eſt (quod optârim) credo, eum ſervitio magni alicujus Principis addictum eſſe debere. Sed puto, Auguſtæ facile à quopiam ex aliquo affinium ejus comperiri poſſe & locum, ubi degit, & ſtatum, quem tenet; etſi forſitan in ima Germania moretur. Quod ſi Auguſtæ agit, meo nomine ipſi affirmes, me ſemper ſervum ipſius eſſe, meque ſexcenta repperiſſe, palato et curioſitati ejus convenientia: mihique volupe fore, eadem ipſi communicare in vicem illorum, quæ mihi hîc tranſiens relinquere benigniſſime voluit.

At ſera nimis hæc *Peireſcii* amicitiæ teſtificatio venit; namque *Noſter* bimeſtri, poſtquam *Peireſcium* convenerat, *Sabonæ* in Italia præmaturo eheu! fato extinctus fuerat, terræque mandatus hoc titulo addito *d*).

SISTE. GRADUM. VIATOR
ATQUE. HÆC. PAUCULA. SI. LIBET. PERLEGE
JOAN. PETRUS. HAINZEL. A. DEGERSTEIN
ARMIGER. AUGUSTENS. RHETICUS
HIC. SITUS. SUM
DE. ME. FORTASSIS. ALII. ALIA
EGO. NIHIL. ALIUD
NIL. NISI. DIVINUM. STABILE. EST
HUMANA. LABORANT

d) V. *Praſchii Epitaph. Auguſt. P. I. p.* 232.

Digitized by Google

VIX. ANN. XXXVI. M - D -
O. A. E. C. M. DC. VIII
DIE. XX. SEPTEMBR

Hæc de *Joanne Petro Hainzelio*, cui addere juvat *Joannem Ludovicum* HAINZELIUM, â quo in Bibliotheca *D. Raymundi de Krafft*

CANTICUM CANTICORUM *philoſophicè explicatum per J. L. Heinzel à Degernſtein, Germanicè. MSStum.*

extitiſſe, monuit *Schelhornius* in *Amoenitat. litter. T. III. p.* 106. adjiciens: *Auctor lapidem philoſophicum in Cantico laudatum et deſcriptum ſibi inveniſſe viſus eſt.*

IATRO-

Digitized by Google

IATROLOGIA AUGUSTANA

SAECULI XVII. ET XVIII.

EXHIBENS

MEDICOS

QUI

SIVE AUGUSTÆ NATI, IN PATRIA,
SIVE ALIUNDE ADVECTI, AUGUSTÆ,
SIVE AUGUSTÆ GENITI, ALIBI,

PER ILLA TEMPORA
ARTI SALUTARI VACAVERUNT.

Digitized by Google

Quis *Medicos Auguſtanos* inglorios dicere ſuſtineat, quorum eruditæ voces non ſemel in Scriptis publicis olim per univerſam Germaniam aliasque provincias et regna paſſim exauditæ; quorum adcurata, in morborum natura exponenda, eloquentia: et in debito auxiliorum uſu efficaciter perſuadendo ac edocendo dexteritas, â tot myriadibus ægrotorum hactenus deprædicata, omnino mutorum Doctorum ordini eos exemit, & ab ingloria oblivione vindicavit? *Luc.* SCHROECKIUS in *Hygeia Auguſtana*, *pag.* 100.

Digitized by Google

In præcedenti Alphabeto VIII. *Medicis Auguſtanis* Sæculi XV. & XVI. *laudes debitas dixi. In præſenti* Alphabeto IX. *Medicis Auguſtanis* Sæculi XVII. & XVIII. *dicam. Sic telam, quam ibi orſus ſum, hîc pertexere ſtudebo. Itaque* primus *ſit*:

ERHARD (*Ieremias*) *Auguſtanus*, quem inter celebres Medicos ejus urbis annumerat *Jac. Bruckerus a*): et cujus non ingloria ſit mentio in multi pretii Operibus *Guil. Fabricii Hildani*, *Cent. VI. Obſerv.* 41. 91. & 92. *b*). Hic in *Jenenſi* Academia circa annum 1609. Medicinæ præceptis addiſcendis operam impendit teſte *Freherо c*). Habentur à *Noſtro*

I. *De Phthiſeos Natura & Cura.* in 4. *Baſileæ.* 1612.

II. *De Tympanitide. Ibidem.* in 4. 1613. Has duas *Diſputationes* tribuit *Noſtro Alb. de Haller* in *Biblioth. Medicin. pratic. T. II. p.* 429. Unde colligo, eum in *Baſileenſi* quoque Academia ſtudio medico operam navâſſe.

III.

a) In *Miſcellan. Hiſtor. philoſ. litterar. p.* 488.

b) Ita teſtatur *Schröckius l. c. p.* 109. quem vide etiam *p.* 117.

c) V. Ejus *Theatrum Eruditor.* in Vita STYRZELII.

Digitized by Google

III. *Epiſtola ad Gregorium Horſtium, de Morbo convulſivo ſingulari cujusdam pueri annorum decem.* V. *Horſtii Obſervat. medicin. Libr. IV. poſterior. p.* 635. *Ulmæ.* in 4.

IV. *Litteræ ad Gregorium Horſtium*, agentes *de Urinæ probatione.* Has reperiri cum ipſis *Horſtii Operibus*, in 4. *Goudæ.* 1661. impreſſas, monet *Lipenius* in *Biblioth. medic.*

Obiit *Noſter*, peſte vivorum ê numero raptus, anno 1635.

HOLZAPFEL (*Martinus*) *Rottenburgum* ad *Nicrum* ſeu *Neccarum* patriam habuit. Quantâ doctrinâ præditus fuerit, abunde comprobat munus *Profeſſoris Phyſices* in Univerſitate *Friburgenſi* geſtum. Extat in hujus rei probationem *M. Ioachimi Roſalechii*, Poëtices in eadem Academiæ Profeſſoris, *Triſolium nuptiale* in 4. *Argentorati.* 1585. in cujus titulo Noſter *Vir pietate, eruditione, experientia, et medendi dexteritate cumulatiſſimus, Medicinæ Doctor, Phyſicæ Profeſſor* a *Roſalechio* audit. In eam autem Academiam promovente (Nil dubito) *Udalrico Holzapfelio* fratre, Juris civilis in memorato Athenæo Profeſſore publico ordinario venit *Noſter*, poſtquam in *Italia* Arti medicæ ſtuduerat. Fungens adhuc *Phyſices Profeſſoris* munus, matrimoniô ſibi junxit annô 1585. Nonis Sextil. *Offenburgi* matronam pudiciſſimam laudatiſſimamque *Eliſabetham Wildthelmin* Hieremiæ *Rappii*, Parochi *Offenburgenſis* affinem. Unde memoratus *Roſalechius* ſequentia ad *Noſtrum* cecinit:

Hanc

Digitized by Google

Hanc præmonſtravit amicam
Quondam dextreque proculque
Abſenti RAPPIUS *ille.*
— — — —
— — — —
Hanc præmonſtravit amicam
Bis menſes ante novenos;
Cum te gens Itala gaudens
Medicæ Μυσηίου *artis*
Scrutantem mente ſagaci,
Admiraretur in urbe,
Admiraretur in hortis,
Admiraretur in arvis.

Labente tempore *Auguſtam Vindelicorum* ſedes transtulit, inter cujus urbis claros Medicos ad annum 1590. recenſere eum non omiſit *Cruſius* in *Annal. Suevic.*

Nomen *Martini* noſtri memoriæ æternæ conſecravit *Jo. Schenckius*, Medicus famigeratiſſimus; dum varias illius *Obſervationes* adoptavit, et Operi *Obſervationum medicarum rararum, novarum &c.* inſerendas duxit: ubi idem *Schenckius*, in prævio *Auctorum* Elencho, ſequenti honorifico titulo ornare eum non dubitavit: *Reipublicæ Auguſtanæ, cumprimis illuſtrium Heroum DD. Fuggerorum Medicus commendatiſſimus et excellentiſſimus.*

Ad laudes *Noſtri* pertinet inſuper, eum ingeniô verſibus ſcribendis aptiſſimô fuiſſe: Teſtis rotundum *Carmen*, quô *Aretæo Cappadoci* ab *Heniſchio a*) edito proluſit.

Ejus

a) De hoc Viro fuſe egi in *Alphabeto VIII.* meæ *Bibliothecæ.*

Digitized by Google

Ejus *Epitaphium* ſequens exhibet *Praſchius P. I. p.* 110.

MARTINO. HOLZAPFEL
REIPUB. AUGUSTANÆ. MEDICO
DEIN. ET. SIBI
UXOR
ELISABETHA. WILDHELMIN
FILIUSQUE
JOANNES. JACOBUS. HOLZAPFEL *b*)
SUPERSTITES. MOERENTES
P P
OBIIT. MARTINUS. AETAT. AN. LXIII
SALUTIS. AN. MDCXIV. MENSE. FEBRUARIO
DIE. XIX

b) Hic poſtquam in *Moguntinenſi* Academia *Concluſiones logicas, phyſicas & metaphyſicas* (Confer *Rhingeri Catalog. Biblioth. Auguſt. p.* 847.) *ex univerſa Philoſophia peripatetica collectas, profectûs et eruditionis ſuæ ſpecimen editurus, annô* 1613. propugnâſſet, patris veſtigia ſequens arti medicæ ſe dedidit, in qua ita profecit, ut *Paulus à Stetten* in *Hiſtor. Auguſt.* vernacula ad annum 1616. teſtari non omiſerit: *Circa ea tempora vixit Auguſtæ peritus Medicus Jo. Jac. Holzapfelius.* Idemque ad annum 1628. monet: *Noſtrum* cæſarea auctoritate, fruſtra renitente Senatu patrio, una cum aliis *Patritium* creatum fuiſſe. Confer etiam, ſi lubet, eundem perilluſtrem *Auctorem* ad annum 1635. *pag.* 375.

ORTELIUS (*Abrahamus*) cujus paucis memini in *Alphabeto I. Bibliothecæ* præſentis *Auguſtanæ*, *p.* 129. 130.

BYLERUS (*Lucas*) *Auguſtanus* ſcripſit meletema

De Ictero flavo,

quod

quod repperitur in *Decade II. Disputationum medicarum*, quas *Jo. Jac. Genathius.* 1619. *Basileæ*, in 4. edidit *a*). Obiit diem suum ex pestis contagione *Nyrtingæ*, in Ducatu *Wirtembergico*, anno 1635 *b*).

a) V. *J. J. Mangeti Biblioth. Script. Medic.*
b) Hoc dolens testatur *Lucas Schröckius* in *Hygeia Augusti. p.* 117.

BRENGGERUS (*J. Georg.*) de quo in *Alphabeto VI. Biblioth.* præsentis *Augustan. p.* 122. dixi: & quem *Lucas Schröckius l. c. p.* 108. appellare non dubitavit: *Medicum valde industrium, in patria Practicum famigeratissimum, cujus* nephriticam *virtutis non contemnendæ* Aquam *Dispensatorium Augustanum exhibet.*

CASTELLUS (*Joannes*) cujus mentionem feci in dicto *Alphabeto*, *p.* 117. Huic *J. J.* MANGETUS *l. c.* et CARRERE in *Biblioth. de la Médic.* insuper adscribunt sequens Opus: *Pharmacopœa, Medicamenta in Officinis pharmaceuticis usitata, complectens et explicans. Gadibus, apud Johannem de Bojet*, 1622. in 4. Confer *Alb. de Haller Biblioth. Medicin. pratic.* in 4. *Basileæ.* 1776 - 1788.

MINDERER (*Raymundus*) cujus laudes amplissimas & doctissima scripta retuli in *Alphabeto* memorato, *p.* 114. & quem *Sueviæ Hippocratem*, satis glorioso titulo, appellare non dubitavit *Jo. Faber* in *Histor. natur. Mexican. p.* 577.

RUM-

Digitized by Google

RUMLERUS (*Jo. Udalric.*) de quo à me connotata attuli in mox dicto *Alphabeto*, *p.* 127. Confer mox laudatam *Alb. de Haller Biblioth. Medic.*

SCHROECKIUS (*Lucas*) *Pater.* Fuit *Medicinæ Doctor, et Practicus; poſtea Phyſicus Auguſtanus, et Collegii Medici Senior; quem patria ut probum civem, ac eruditum, ſedulum, felicemque Poliatrum in pretio habuit.* Obiit anno 1689. die 15. Maji *a*).

Cum *Athanaſio Kirchero* commercium habuit literarium, et voluminibus *Academiæ Leopoldino-Cæſareæ Curioſorum Naturæ* ſequentes *Obſervationes* inſeruit:

De Petechiis ſumme malignis. De Balſami Peruviani uſu in Dyſenteria. De Juvene, de impotentia ſuſpecto, feliciter defenſo. De Uvula gemina. De Laconiti Coriariorum, Germanicè: Lohbad *dicti, uſu. De Aphonia improviſa, brevi curatâ. De Calculo per alvum excreto. De Pulſu intermittente ac deficiente. De Gravidæ ſymptomatibus ſingularibus, et Partu Gemellorum monſtroſo. De Partu Gemellorum, alterius vivi, alterius quatuor menſes jam mortui. De partu difficili, et pudendis à gangrænoſo fœtu infectis. De partu numeroſo. De incerto calculorum renum et veſicæ judicio b).*

Pau-

a) Iſta de Patre ſuo Filius narrat. Hinc mendoſe monet *Crophius* in *Orat. funebr. de Schröckio filio:* annum 1687. patri fatalem fuiſſe.

b) Vide *Mangeti Biblioth. Scriptor. Medic. T. II. P. II. p.* 216. 217. & Alb. de Haller *Biblioth. Medic. pratic.*

Digitized by Google

Pauciſſima hæc ſunt, proh dolor! quæ de *Schröckio* Patre narrare queo. At plura ſunt, quæ de Filio afferre pergo. —

SCHROECKIUS (*Lucas*) Filius, major Patre clariorque, primam lucem anno 1646. die 20. Septembris, hora prima pomeridiana *Auguſtæ* aſpexit, ex *Anna Maria*, Caſparis *Welſchii* celebris Pharmacopæii filia, *Georg. Hieronym. Welſchii* Medici & Polyhiſtoris maximi ſorore, natus: patriæ famam, quam ea ex doctorum Civium, & hos inter etiam ex eruditiſſimorum *a*) Medicorum claritudine ab omni retro ætate habuit, novis iisque maximis acceſſionibus ſuccedente tempore amplificaturus *).

His ſatum parentibus (præter *Marcum Mattſpergerum* ſpectabilem Aromatarium, & *Sabinam Warnbergeram* Amitam) ſacro Baptiſmatis fonti nobiliſſimus ac celeberrimus Medicus, cujus laudes inferiùs prædicabo, *D. Joannes Heniſius* admovit: ut vel in infante ſecuturæ magnitudinis omina plura concurrerent. Vix dum autem parvulus noſter annum ætatis ſextum compleverat, cum ſuaviſſimam matrem eripi ſibi triſtis vidit, ex difficili partu anno 1652. die 7. Decembris defunctam: cui jacturæ clementer proſpiciens ſupre-

a) De Medicis *Auguſtanis*, qui *Noſtrum* ætate præceſſerunt, clarámque nominis ſui memoriam reliquerunt, egi in *Alphabeto VIII. Bibliothecæ Auguſtanæ*, *pag.* 59 - 172.

*) Scripſit *Noſter* ſuam ipſus *Vitam*, ſed tantum ex parte: cujus proin verbis uti placuit, additis tamen permultis tum meis tum aliorum obſervationibus.

Digitized by Google

ſupremi Numinis bonitas effecit, ut in ſecunda patris uxore, *Suſanna Hainzelia*, Patritia Auguſtana, non novercam, ſed priſtinam *b*) matrem invenerit: utpote quæ, ipſo *Noſtro* teſtante, eo amore eaque patientia uſa eſt, ut majorem *Noſter* adfectum â genuina matre vix exigere potuiſſet. Itaque hujus, uti & parentis optimi, curis educatus ſollicitis, ob præſtantes animi dotes ſtudiis mancipatur. Apparebat namque in *Noſtro* mira ingenii felicitas, judicii firmitas atque accuratio præmatura, excellens quædam memoriæ fidelitas; quibus rebus parenti ac neceſſariis ſpes maxima ac lætiſſima oblata eſt, fore, ut *Noſter* & patri et patriæ ſingulari ornamento ac ſolatio futurus eſſet. Neque â præſagio abluſit eventus *c*). Tanta enim maturitate ſeſe poſtea oſtendit ingenii *Schröckiani* præſtantia, ut tradita bonarum artium ſemina non ſolum inſolita fertilitate redderet, ſed & omni exſpectatione majorem in ſe meſſem puer præmonſtraret.

Hinc evenit, ut ſeptennis in patrium ludum ad *S. Annam* miſſus ſit; in quo loco *Mathiæ Wilhelmi* Rectoris *d*), *Narciſſi Rauneri*, de quo infra dicturus ſum, *Joannis Crophii*, *Joannis Broſſeri*, *Joannis Steudtneri e*) & aliorum inſtitutiones au-

b) Ita teſtatur *Phil. Jac. Crophius* in *Memoria Schröckiana*, annexa *Orationi funebri*, â *Samuele Urlſpergero* in *Noſtrum* habitæ.

c) Hæc monet *Jac. Bruckerus* in *Miſcellan. Hiſtoriæ &c. p.* 489.

d) De Viro hoc videri poterit *Ph. Jac. Crophius* in *Hiſtoria* vernacula *Gymnaſii San-Annæani*, *Auguſtæ. p.* 226.

e) *Joannes Steudnerus*, natus *Auguſtæ* anno 1620. die 27. Decembris, humanioribus litteris ſub *M. Petro Meu-*

studiens, tum linguarum *Græcæ* ac *Latinæ*, tum reliqua humanioris litteraturæ principia, nec non

 quæ

Meuderlino Ephoro *Collegii evangelici Augustani* studuit. Postea *Argentoratum* anno 1641. missus, per sexennium tum *Philosophiæ*, tum *Theologiæ* condiscendæ operam impendit; intra quod temporis spatium in paranda quoque linguarum orientalium, *Talmudis*, & scriptorum *Rabbinicorum* cognitione multum sese occupavit. Præconis inter suos munus primò *Tülckemii*, oppidô prope Basileam in *Badensi* Marggraviatu, sitô: inde post biennii spatium in patriam revocatus, in templo *S. Udalrici*, quà *Diaconus*, per duodecim ferme annos gessit. Quibus transactis successorem in Verbi (ùt ajunt) ministerio nactus fratrem, *M. Isaiam Steudnerum*, ipse *Collegium evangelicum Annæanum*, sibi concreditum, ad finem vitæ usque, quà *Ephorus*, rexit. Obiit autem anno Christi 1666. die 14. Maii: ætatis 46. Teste *Mart. Lipenio* in *Biblioth. theolog. T. I. p.* 2. à *Nostro* extat:

Jüdische A. B. C. Schule von dem Geheimniß Gottes. in 8. *Augsburg.* 1665.

Cæterum de utroque (tum *Joanne*, tum *Isaia Steudnero* scilicet) videri poterit Liber: *Ministerium evangelicum Augustanum.* in 4. *c. fig.*

Cum *Petrum Meuderlinum* superiùs nominârim, inducor, ut pauca de eo adnectam. Natus is est anno 1582. in oppido Ducatûs *Würtembergici*, cui nomen *Ober-Acker.* Studiis vacavit *Adelbergæ*, *Maulbrunni*, & *Tubingæ*; in qua urbe & Athenæo anno 1601. *Magister*; anno 1605. *Repetitor studiorum* est constitutus; mortuóque *Martino Crusio* anno 1606. *Græcam* linguam modo vicario docuit. Anno 1608. *Kirchemii* infra Teecum (*Kirchheim unter Teck*) primus Diaconus: anno vero 1612. *Ephorus Collegii evangelici Augustani* (non Rector & Inspector Scholæ *Annæanæ*, uti male habet *Jöcherus* in *Gelehrten-Lexicon*, usus *Pippingii Memoriis Theologorum*; nam *Rectoris* Scholæ Annæanæ, & *Ephori* Collegii evangelici valde diversa inter se munia sunt) factus est. Quid anno 1629. cum

à Se-

quæ aliquando ad ſeveriora ſtudia prodeſſe poſſent, diligenter addidicit, ſingulis induſtriam ejus probantibus & commendantibus: ſub quorum auſpiciis etiam tribus vicibus, in ſplendido *Illuſtrium, Reverendorum, Excellentium*, & *Clariſſimorum* Virorum conſeſſu, Oratoris partes publice ſubivit, ſemel anno 1663. die 6. Martii, *Veris encomium* perorans: poſtea anno 1664. die 24. Aprilis, heroico carmine *Chriſtum juſtitiæ ſolem cum ſole naturali* comparans: tandem die 20. Auguſti *Vinum et ebrietatem* magis lingua quam animo commendans, omniumque adſtantium ſemper ſuffragia plauſusque reportans.

Interea animus *Noſtri* â prima mox pueritia ad medicam artem propendere cum animadverteretur, ad ejusdem atrium a parente optimo lento paſſu et quaſi inter ludendum deductus eſt *Schröckius*, non herbarum tantum notitiam comparando, ſed frequentem etiam in avito pharmacopolio præparationis Galenicorum (uti vocantur) et chymicorum medicamentorum ſpectatorem agendo, quin etiam chirurgicis atque anatomicis, licet

â Senatu *Reformatio cæſarea* urgeretur, reſponderit: cur anno 1630. non ejectus urbe fuerit, ſed providò ipſe conſiliò fugerit, verius diſces ex *Pauli â* STETTEN *Chronica Auguſtana* vernacula, *Tom. II. p.* 55. 100. Regreſſus *Auguſtam*, priſtinum munus geſſit. Obiit anno 1651. die 1. Junii.

Præter Opera *quatuor*, quæ â *Noſtro* edita eſſe monet *Jöcherus*. ex ſuperius allatis corrigendus; inveni aliud impreſſum hoc titulo: *Rath an die Kipperer, und Geldwucherer.* in 4. *Augsburg.* 1623. & *Orationem de Collegio Auguſtano evangelico*, quam *manuſcriptam* ſervari memorat laudatus *Paulus â Stetten L. c. T. I.* in *Vorbericht von Scriptor. Rer. Auguſtan.* §. 2. *n.* 75.

Digitized by Google

licet (ut ait) rariſſimis, operationibus aſſiſtendo; quorum omnium præguſtus magno ei poſtea in Academicis ſtudiis emolumento atque adjumento fuit.

Hoc modo jactis domî per plurium annorum ſpatium veriſſimis ſolidioris doctrinæ fundamentis, artis medicæ penitius addiſcendæ cauſſa ex patris conſenſu *Jenam* anno 1665. menſe Majo tetendit (non feſtinatam aut immaturam illam, quæ noſtris utplurimum temporibus obtinet, eruditionem afferens ſecum, ſed ad ſtudia Academica cum fructu inchoanda optime præparatus) & ſub Rectore magnifico *Fridemanno Bechmanno* *) Logices & Metaphyſices publico Profeſſore, in caſtra medica ſe contulit, non neglecto phyſico, ac reliquis philoſophicis neceſſariis ſtudiis.

In memorato Athenæo præceptores nactus eſt *Lucas* præſtantiſſimos, magnum *Guernerum Rolfinckium*, excellentiſſimum *Joann. Arnold. Friderici*, inprimis autem celeberrimum *Joann. Theodorum Schenckium*, cujus non privata ſolum informatione, ſed convictu quoque, ædibus atque arctiori acceſſu cum maximo fructu ultra quadriennium gaviſus eſt. Horum ductu Collegia publica & privata, theoretica & practica, anatomica, botanica, chirurgica, chymica, pharmaceutica frequentavit: in anatomiis publicis & privatis ſpectator adſtitit: quin et infantile aliquando cadaver nocturno tempore anno 1667. die 10. Novembr. in pago urbi vicino, ſociis *Godofredo Schulzio*, Collega poſtmodum *Academiæ Curioſorum Naturæ* & *Adjuncto*, Medicóque *Halenſi* in *Saxonia*, pluribus

*) De *Bechmanno* vide *Fippingii Memorias Theolog.* & *Zeuneri Vitas Profeſſor. Jenenſ.*

Digitized by Google

ribus editis ſcriptis celebri, nec non *Georg. Theod. Oſnabrückio* Salzwedela-Marchico diſſecuit. Per idem quoque temporis ſpatium optatiſſima *Noſtro* ſors obtigit, *Georg. Wolfg. Wedelium f*) Medicinæ poſtea in *Salano* Helicone Profeſſorem percelebrem, ſtudiorum non ſolum ſocium ſed et contubernalem habendi: unde illa inter utrumque, usque ad obitum *Wedelii*, ſtudioſe culta amicitia, non ſine maximo Rei litterariæ, præſertim medicæ emolumento coaluit.

Porro (ùt ipſe de ſe teſtatur) vicinas ſylvas, agros et montes percurrit, ignesque chymicos privatim accendere ſtuduit. Inſuper diſputando vires ſæpius ſuas periclitatus eſt, *opponentis* & *reſpondentis* munere functus; prout ab ipſo elaboratæ & typo commiſſæ *Diſputationes de Moſcho*, & *Bulimo* ſub præſidio laudati *D. Schenckii*: nec non *Theſes chymicæ*, Præſide earum Auctore *D. Rolfincio* ventilata, fidem faciunt. Ex quibus omnibus patet, bene *Bruckerum l. c.* ſcripſiſſe, dum ait: *Profecit ita in artis ſalutaris cognitione, ut naturæ tum humanæ, tum Univerſi, conſtitutionem viresque calleret; & artis chymicæ artificia, herbarum genera, ſpecies atque virtutes cognitas haberet; & humani corporis fabricam curioſo oculo, quin et cultro perſpiceret; & Morbonæ ſtragem cum cauſſis ſuis accurate noſſet; medendi denique rationem tutam, certam & jucundam apprime teneret.*

Ne-

f) Quanti in re medica Viri fuerint *Schenckius*, *Rolfinckius*, *Fridericus*, *Wedelius* à *J. J. Mangeto* (in *Bibliotheca Script. Medicor.*) & aliis diſcere licet, qui *Vitas Medicorum* perſcripſerunt.

Digitized by Google

Neque vero primario doctrinæ generi, cui ſe devoverat, uni inhæſit; ſed doctis impalleſcere chartis, & ingenii vires ad lucernæ ſplendorem acuere pulchrum deputans, lectioni tum recentium tum veterum Scriptorum perdius & pernox invigilabat: Quæ cauſſa eſt, cur Opera eius, de quibus infra dicetur, non ſolùm artis medicæ callentiſſimum, ſed multiplici inſuper variaque eruditione confertiſſimum ingenium palam oſtendant.

Sic abierunt *Noſtro* anni tres & ultra; cùm litterariæ penûs ſuæ novis incrementis locupletandæ et doctrinæ, quam paraverat, magis magisque perficiendæ cauſſâ eruditum iter anno 1668. autumnali tempore, præſcitu parentis, per *Saxoniam* & urbes *metallifodinis* celebres inſtituit, *Geram*, *Altenburgum*, *Chemnicium*, *Auguſtoburgum*, *Mariæ - Annæ - Schnee -* & *Frei - bergam*, item *Dreſdam*, *Wittebergam*, *Lipſiam*, *Numburgum* excurrens, atque celeberrimorum Medicorum e. g. *Abrah. Birnbaumii*, *Joann. Bohnii*, apud quem etiam *Michaelem Ettmullerum* vidit, *Theodori Buſii*, *Joſephi Clauderi*, *Mart. Frider. Frieſii*, *Juſti Fried. Klobii*, *Jo. Chriſtian. Mackii*, *Chriſtoph. Erneſti Stempelii*, *Godofr. Welſchii* favore, alloquio, monitionibus uſus. Eodem laudabili fine *Vinariam* & *Erfordiam* inviſit, *regionum climata*, *victûs & potûs rationes*, *medicatorum fontium proprietates atque virtutem*, *admiranda naturæ opera*, *morborum epidemicorum et certis regionibus propriorum mirabiles haud raro circumſtantias*, *rariores herbas*, *fodinarum receſſus*, *aliaque*, *de quibus Medicorum filii ſolliciti eſſe ſolent*, *obſervans*, *perſcrutans*, *connotans*: *inclytarum forulos bibliothecarum excutiens*: *Virorum doctiſſimorum colloquio tum me-*

dicæ tum aliarum rerum notitiam, et quæ in Academia didicerat, ad concinnam juſtamque maturitatem ac vigorem maſculum perducere laborans.

Novis hisce ſubſidiis dives, cum anno 1669. domum â parente revocaretur, conſenſu ejusdem, ſtudiorum bene peractorum publicum teſtimonium obtinere deſiderans, exantlatis, ſub Facultatis medicæ tum Decano ſpectatiſſimo *D. Rolfincio*, phyſiologico, pathologico & therapeutico examinibus, die 29. Maji. *doctorandi* titulum impetravit, ac poſt publicam die 25. Junii habitam *de Bulimo* diſputationem, nec non die 28. ejusdem menſis rigoroſum examen *Licentiati* honoribus inſignitus eſt. Tandem die 18. Julii ſub læto in via parentum atque neceſſariorum occurſu in patriam redivit, facto in itinere, quod per *Coburgum*, *Bambergam*, *Norimbergam* ducebat ad *Academiam Altdorfinam*, comite celeberrimo *D. Nicolao Stenone*, excurſu; ubi perhumaniter à Profeſſoribus *DD. Mauritio Hofmanno*, & *Jac. Pancr. Brunone* exceptus fuit.

Verum *Germaniæ* Athenæa diſcendi ſitim, quâ *Noſter* arſit, incredibilem ſatiare minus poterant. Quare, bona patris cum venia, extera quoque anno 1669. menſe Octobri viſitare conſtituit, ſedemque ſtudiorum et vigiliarum, Muſis dicandarum, *Patavium*, antiquiſſimum et celebratiſſimum optimarum artium receptaculum, elegit, *ubi artis imprimis ſalutaris præcepta a doctiſſimis Viris tum tradebantur, et artificioſæ ſectionis humani corporis crebrius exercitium multum ſubſidii ad accuratiorem humanæ machinæ cognitionem afferre videbatur.*

Cer-

Digitized by Google

Certè in hoc Lyceo eò acriùs ſtudiis medicis inſtitit, quò ampliorem nactus erat occaſionem, ſeſe præprimis in anatomia publica ac privata (Sic cadaver pueruli expoſititii, favore Comitis *Frigimelicæ* Profeſſoris publici & *Nationis Germanicæ Artiſtarum* Protectoris: nec non viri ſenilî maraſmô defuncti cadaver, gratia *Antonii de Marchettis*, Anatomiæ Profeſſoris publici, accuratius in ædibus ſuis perſcrutanda obtinuerat) porro etiam in chymia, præeunte experientiſſimo *D. Jacobo Barnero*, exercendi. Similiter, quæ in hortis, pratis, montibus, thermis &c. ſuppeditabantur, nullibi ſibi negligenda duxit.

Favorem etiam ſingularem tum aliorum, tum celebratiſſimi *D. Octavii Ferrarii*, expertus hujus ab ore mellifluo ſæpius pendere, & admirandæ ſuadæ ejus deliciis condire ſeveriora ſtudia ſatagebat. Neque eruditiſſimi *Caroli Offredi*, civis academici & ſenis optimi, commenſalis ſui integerrimi, obliviſci ſe unquam poſſe faſſus eſt, qui in omnes officioſiſſimus, & nemini moleſtus, omnium & ordinum et incolarum amorem ſibi conciliârat.

Egit in *Italia* ferme duobus annis *Noſter*, intra quod temporis ſpatium celebriora loca, *Anconam*, *Ariminum*, *Aſſiſium*, *Bergomum*, *Brixiam*, *Ferrariam*, *Florentiam*, *Lauretum*, *Mediolanum*, *Neapolim*, *Puteolos*, *Ravennam*, *Romam*, *Venetias*, *Veronam*, *Vicentiam* vidit, ubivis extantia naturæ et artis Miracula, Gazophylacia, Bibliothecas, & naturalium rerum Apothecas perſcrutans: ubivis Viros doctos & inſignes perquirens, alloquens, ad ineundam amicitiam invitans. Hos inter ſpeciatim *Marcellum Malpighium*, *Guilielmum Rivam*, *Manfredum Septalium*, *Otto-*

nem Tackenium, & *Athanaſium Kircherum* nomi-nare ipſemet minime neglexit.

Et *Kircherum* quidem, *Romæ* anno 1670. con-ſalutans, hoc congreſſu amicitiam, quam cum illo Viro, omnifaria eruditione præſtantiſſimo, pater inchoaverat, filius arctiori vinculô conſtrinxit. Evidens rei hujus teſtimonium perhibet *Faſciculus Epiſtolarum Athanaſi Kircheri*, curâ *Hieron. Ambroſ. Langenmantelii*, *Auguſtæ*, 1684. editus in 8. utpote qui plures *Epiſtolas* abs memorato *Jeſuita* doctiſſimo tum ad patrem tum ad filium *Schroeckios* datas, & varia litteraria continentes exhibet: in quarum una *Kircherus* Noſtrum *unicum amicitiæ ſuæ decus* appellare non dubitavit. *Kirchero* jungere oportet alium maximi nominis Eruditum, *Antonium Magliabechium*, magni *Hetruriæ Ducis* Bibliothecarium, cujus inuſitatam comitatem & facilitatem erga ſe *Schroeckius* amico ſuo ſingulari *Jacobo Bruckero* (Hujus laudes in *Alphabeto VIII.* fuſe perſcripſi) non ſemel grata memorique narratione prædicavit.

Præterea *Romæ* illuſtriſſ. Equitem *Carolum Antonium à Puteo*: deinde *Mediolani* Clariſſ. *Petrum Paulum Boſcam*, Bibliothecæ *Ambroſianæ* Præfectum, in ſe benevolentiſſimos expertus eſt. A *priori* Volumina rariſſima *Antiquitatum*, per præſtantiſſimos pictores immenſo ſumptu depictarum, unà cum aliis Theſauris litterariis, inſpicienda humaniſſime ſibi fuiſſe exhibita: à *poſteriori* autem, commendatoriis prædicti *Ferrarii* litteris permoto, humaniſſime exceptum ſeſe, & (liberiori ad memoratam Bibliothecam aditu conceſſo) ampliſſimâ, Codicem manuſcriptum *Simeonis Sethi de Cibariis*, in gratiam *G. H. Velſchii* (De hoc paulo

lo poſt fuſè differam) conferendi licentiâ impertitum fuiſſe, ipſe de ſe in *Memoria Velſchiana* connotatum reliquit. Sic cum *Noſter* eruditionis ſuæ ſoliditate et præſtantia magnam ubique famam ſibi peperiſſet, facile inter iſtos Eruditos & *Lucam* amicitia coaluit jucundiſſima, quam litterarum poſtea commercio ſancte conſervare ſtuduit *Noſter* — Sed filum narrationis reſumere juvat —

Tandem per *Rhætos*, *Lindaviam*, & *Memmingam* in patriæ ſinum die 3. Maji, 1671. reverſus *Noſter*, quæ ſeminaverat, confeſtim metere cœpit. Namque die 1. Decembris dicti anni in *Jenenſi* Academia, juxta cum aliis Viris clariſſimis, quos inter *D. Samuelem Ledelium*, & *D. Petrum Pruckelium*, Collegas poſtea ſuos in *Academia Curioſorum Naturæ* amiciſſimos, nominat, ſolennitate publica *doctorales honores* obtinuit *): officiaque et operam, quam iſto honore auctus Reipublicæ obtulit, gratanter acceptari vidit, in Collegium medicum die 22. memorati menſis facillime admiſſus; quod Senatus, civesque *Schroeckianam*, quam in patre mirabantur, eruditionem artisque felicitatem *in filio novo vigore repullulaturam crederent*, ſibique haud falſo augurio perſuaderent, futurum, ut non modo genitoris excellentiam natus æquaret, ſed multis etiam modis ſuperaret. Nec eos ſpes concepta decepit; nam etſi ipſe de ſe modeſtiſſime ſcripſerit (*Artem, quam didiceram, ſub directione paterna exercere incepi, eamque poſtea in Proximi et Patriæ emolumentum indefeſſo ſtudio continuavi; id quod an feliciter præſtiterim, ſilentio prætereo: ne mihimet-*

ipſi

*) Abſentem obtinuiſſe tradit *Crophius l. c.* & *Bruckerus l. c.* addens, *ſereniſſimis* id *auſpiciis* factum eſſe.

ipſi nimium tribuere velle videar) tamen praxi *Noſtri* clinicæ ſequens honorificentiſſimum teſtimonium tribuere *Bruckerus* non omiſit.

Tanta cum accuratione, tanto ſtudio ægrotorum curæ ſe tradidit, ut nec doctrinam diligentiamque ejus felicitas exoptati eventûs deſtitueret, nec eorum, quos convaleſcere fecerat, grata elogia deeſſent. Quibus cum procedente tempore longiſſima & rariſſima experientia acceſſiſſet, inſolitâ ferme ſexaginta annorum praxi confirmata; dici non poteſt, quanta celebritate Schroeckiani nominis fama efloruerit. Erat in eo præter eruditionem, eamque maximam, mira comitas & facilitas pari cum humanitate conjuncta, quæ Noſtrum impellebat, ut non ſolum pauperes & tenuioris fortunæ homines, ad ſe accedentes facile in ædes admitteret; ſed etiam in illorum ipſe tuguria ſordidasque tabernas petitam collaturus opem haud gravate ſubreperet: quæ ægrotantium mentes mira dulcedine perfundebat, mira fiducia ſolatioque ingenti erigebat, tantumque Noſtro amorem pariebat, ut qui ſemel Virum incomparabilem adiiſſent, aut ejus conſiliis uſi eſſent, nec meliorem, nec humaniorem, nec jucundiorem ſibi Medicum exoptârint. Sociaverat his Noſter ſummam in ſanandis morbis, etiam deſperatiſſimis, providentiam: certam, planam, facilem, & ad minuendos (quantum fieri poterat) ſumptus idoneam medendi methodum: in ægrotis viſitandis indefeſſam diligentiam, a qua nec ſenex admodum, nec ſummis auctus honoribus receſſit: & (quam inter primas Medici virtutes jure reponas) pietatem, quæ ita ſalutis, totiusque medicinæ Auctori ſerviebat, ut non poſſet ille non adeſſe conſiliis Noſtri, laboresque ejus fauſtiſſimis beare ſucceſſibus.

Quæ

Digitized by Google

Quæ cum ita se habuerint, nemo mirabitur, non cives modo Augustanos, sed et vicinorum locorum incolas ad ædes Nostri, quasi quoddam Aesculapii templum, confluxisse: nemo mirabitur, Viros quoque principes & sereniſſimo sanguine natos sanitatem suam ejus fidei ac curæ credidisse. Certe multoties ex omni Germania, dissitisque locis litteræ convolarunt, quibus vel Principes, summique subsellii Viri de sua valetudine Nostri consilia sibi petebant: vel horum patri de inita a se, porroque ineunda medendi ratione Hippocratis nostri sententiam exquirebant, multum profecisse sibi visi, si Noster annuisset: aut medendi rationem (quod is semper cum summa fide, humanitate, modestia fecit) præscripsisset. Hujus generis Conſilia *quamplurima cum Musa Schroeckiana conscripserit, dolendum profecto est, quod Vir iste, uti eruditione et meritis illustris, ita modestiâ nulli comparandus, supprimere illa ultimæ voluntatis imperiô, quam edendo foras vel summorum Virorum arcanos quandoque morbos & circumstantias prodere, vel ullam ambitionis speciem de se præbere maluerit.*

Fuſius iſta ex *Bruckero*, *l. c.* relata eſſe ignoſces; Lector! tum quod ad *Noſtri* laudes magnopere pertinere viſa ſint: tum quod *Bruckeri*, utpote *Noſtro* ſynchroni, & hæc omnia abs *Noſtro* tam in ſemetipſo, quam in ſuis per longiſſima temporum ſpatia maxima cum voluptate experti auctoritas tantum ponderis habere dignoſcatur, ut nec revocari dicta ab ullo in dubium, nec inficiari niſi abs vecorde poſſit.

Tantis virtutibus tantisque meritis non poterant non ſuccedere axiomata et honores, iique ampliſſimi, immo etiam auguſtiſſimi, quibus *Noſtrum*

ſtrum tum *Civitas* patria, tum doctorum Virorum Collegia ſive *Academiæ*, tum divus ipſe *Leopoldus*, *Joſephus*, & *Carolus*, ſummi Imperatores, cumulârunt. A patria Senatuque *Auguſtano* ordiri juvat, qui *Noſtrum* â litterariis itineribus vixdum bene reducem mox inter *Phyſicos loëmicos* cooptavit. Anno deinde 1689. poſt patris mortem phyſicatu *Noſocomii Gallici* ultrò impertivit. Porro *Noſter* anno 1683. prima vice in *Collegii medici Decanum* concordibus Con-iatrorum ſuffragiis electus, eam poſtmodum dignitatem ſexies adhuc, et (quod ſequitur) ſeptena adeo vice (novo & inſolito plane apud *Auguſtanos* exemplo) cum ſingulari dexteritate, fide ac vigilantia geſſit. Anno demum 1712. ſecretioris Senatûs-conſulto in *Georg. Tob. Dürrii* (De hoc infrà ago) locum *Phyſicus primarius*, *Collegii medici Vicarius*, *Officinarumque pharmaceuticarum Viſitator perpetuus* declarari promeruit. Nec ſegniores in *Noſtro* cohoneſtando exteræ fuerunt Academiæ. Sic anno 1677. die 24. Octobris *Academia Recuperatorum* (Ricoverati) quæ *Patavii* eſt, agente *Carolo Patino* Profeſſore publico & ejus *Societatis* Principe: ſic *Academia phyſio-critica*, quæ *Senis eſt*, promotore *Pyrrho Maria Gabbriellio* Protomedico et Profeſſore: ſic *Colonia phyſiocriticorum Arcadiæ*, quæ *Romæ* eſt, anno 1701. procurante Abbate *Jo. Mar. Creſcentero* civibus ſuis, *Noſtrum* nil tale cogitantem, miſſis ſplendidiſſimis Diplomatibûs, adſcribere minime neglexerunt. Quod ipſum magno ſibi ſemper honori duxit; quod â laudandis laudari, id demum veræ laudis naturam habere crederet. His ſe junxit indigena *Academia Cæſareo-Leopoldina Curioſorum Naturæ*, quæ *Lucam*

noſtrum

noſtrum anno 1677. ſub nomine, *Celſus*, ſuum eſſe voluit: anno autem 1681. *Præſidis Adjunctum*, & anno 1685. *Directorem Ephemeridum* conſtituit: denique anno 1693. ad ipſam *Præſidis* ſupremam dignitatem evexit. Quod munus *Noſter* per triginta & ſex annorum ſpatium ita adminiſtravit, ut non minus claritatis Academiæ a Præſidis perſona, quam huic viciſſim ab Academiæ ſplendore acceſſerit. — Sed de hoc mox latius — Colophonem his omnibus addidit *Leopoldi* Cæſaris favor, qui, dum venerandum, de quo mentio facta, *Collegium Academiæ Curioſorum Naturæ* in auguſtam tutelam recepit, unà cum *Jo. Georg. Volckamero* tum Præſide, *Noſtrum* tum Ephemeridum Directorem, inter *S. R. I. Nobiles* anno 1687. adlegit, *Archiatri cæſarei* titulo inſignivit, *Comitum ſacri Palatii* honore, aliisque Privilegiis decoravit, quæ *Noſter* in *Continuatione Progreſſûs* memoratæ *Academiæ*, *Decad. II. anno* 1688. pluribûs enarrat. Neque his contentus idem Imperator, & doctiſſimus ipſe & doctorum ac doctrinarum fautor ampliſſimus, annô 1689. quô ob ſereniſſimi filii *Joſephi I.* electionem et coronationem, in *Romanorum Regem*, aliquamdiu *Auguſtæ* ſubſtitit, *Noſtrum* non tantum ad alloquium gratioſiſſime admiſit, *Ephemeridumque Decadis II. Volumen ſeptimum*, tum typis emiſſum, nomine totius *Academiæ Curioſorum* humillime ſibi oblatum, ſacratiſſimis ipſe manibus acceptavit (Eandem gratiam *Sereniſſimus* quoque *Rex* die 13. Octobris una cum ſacræ manûs oſculo *Noſtro* conceſſerat) ſed etiam, poſtquam *Viennam* rediit, *inſigni nummo aureo, auguſtiſſima cæſarea facie coruſco*, per manus illuſt. & generoſ. *D. Nicolai Guil.*

Be-

Beckeri L. B. à Wallhorn Conſiliarii & Protomedici, clementiſſime donavit. Quin etiam *Carolum VI.* glorioſiſſimæ memoriæ Principem, paternô doctum exemplô, imperatoriam *Noſtro* gratiam favoresque cumulatos impendiſſe, teſtis locuples eſt *Ph. Jac. Crophius* in memorata *Memoria Schroeckiana. p.* 41.

Neque in immerentem, aut minus dignum hæc talia collata fuiſſe, tum hactenus dicta oſtendunt: tum dicenda, clariſſimè demonſtrabunt. At que ut de *Academia Leopoldino-Cæſarea* dicere pergam, huic certe *Noſter* promovendæ ornandæque tanta contentione inſudavit, ut illa plane non committendum ſibi putarit, quin *Schroeckii* erga ſe merita grata commemoratione publice prædicaret, in *Actorum Volumine III. Adpendicis p.* 200. & *ſeqq.* his verbis uſa: *Fuit Schroeckius inclytæ Societatis noſtræ Collega ultra ſemiſæculum, induſtria et auctoritate ſingulari prælucens: ſed (quod majus omnino eſt) ſuſtinuit graviſſimum* Præſidis *munus in octavum luſtrum, applauſu communi, non ſolum Germanicæ Nationis, ſed et complurium exterarum Gentium, quotquot Inſtituto laudabili, provehendæ Hiſtoriæ naturali, & incremento Artis medicæ bene cupiunt. Iſthoc in munere* Collegas ſupra ducentos *cooptavit*: Adjunctos quindecim *elegit*: Directores *autem* Ephemeridum *noſtrarum ſucceſſive* quinque *inſtituit, pari prudentia ubique uſus, hinc omnium amorem & obſervantiam promeritus. Noverat etenim diligentes in obſequio retinere, tardiores vero aut officii immemores comiter admonere, patronos ac fautores ſubinde novos conciliare Collegio noſtro, hujus denique in univerſum dignitatem atque commoda tueri & amplificare. Tacemus* Epiſto-

ſtolas *propemodum innumerabiles, ab uno ad permultos, non ſolum Collegas, ſed alios eruditione et auctoritate præſtantes Viros* g) *exaratas, in quibus ſane utrum concinnitatem verborum magis, an humaniſſimam officioſæ voluntatis ſignificationem æſtimare conveniat, difficile dictu eſt.* Annales Academiæ *noſtræ, ab anteceſſoribus vix inchoatos, accuratione mira contexuit, ac ſingulorum* Collegarum nomina resque geſtas *nitida ſcriptione & incredibili diligentia in commentarios retulit.* Ἀρχεῖον *noſtrum ordinate diſpoſuit multumque locupletavit; nec minus prudenter ac fideliter rem* fiſci *adminiſtravit. Quæ omnia profecto ſunt ejusmodi, ut non poſſint non immortalem reddere bonitatis & induſtriæ Schroeckianæ memoriam. Hanc vero epicediis concelebrare ſupervacaneum plane ducimus: quin et immenſam fore talium Collectionem veremur; cum nemo forte noſtrûm exiſtat, qui non aliquid afferret lubens in laudem Viri nunquam ſatis laudandi, ſuamque erga ipſum pietatem declararet &c. &c.*

Iniquum autem foret, ſilentio præterire ea induſtriæ ſpecimina, puta Obſervationes lectiſſimas, *quas, ex quo Academiæ noſtræ nomen dedit, ad hujus* Ephemerides *locupletandas adeo diligenter contulit; ut nullum omnino Volumen exire pateretur, cui non aliquid notatu dignum de ſuis inſereret, præter complura*

g) *Theſauri* hujus *epiſtolici* videndi ſpem Publico ablatam advertens *Jac. Bruckerus*, ut aliquô modô Lectorum curioſitatem ſedaret, in *Miſcellaneis* ſuis *pag.* 508. protulit *Epiſtolam Carolæ Catharinæ Patinæ* elegantiſſimi ingenii fœminæ, ſupradicti *Caroli Patini* filiæ, de patris morbo & morte ad *Noſtrum*; quam ſi lubet, conſules, ac diſces, quô locô eum Exteri habuerint.

Digitized by Google

plura Scholia *Obſervationibus aliorum liberaliter adjecta.*

Academiarum deinde et doctorum Sodalitiorum in cohoneſtando *Noſtro* exemplum privatim æmulati quoque ſunt temporum illorum Medici: quorum ê coetu unum commemorare ſufficiet, *Chriſtian. Franc.* PAULLINI, qui Vir celeberrimus ipſe, *Noſtrum* celeberrimis itidem Triumviris *Carolo Patino*, *Jo. Chriſtiano Fromanno*, & *Dan. Guil. Mollero* jungens, ejusdem nomini doctum Tractatum *de Salvia* inſcribere voluit, anno 1688. *Auguſtæ* excuſum; ubi ait: *Tibi, mi Schroecki! ſacram hanc Herbam eſſe volui, quòd ea (ut multa alia veræ amicitiæ indicia tranſiliam) tua manu obſtetricante publicam lucem conſpexerit.*

Quod ſi his omnibus addas, Lector! eruditiſſima *Noſtri* Opera, facile mihi conſenties, ingentem meritorum cumulum in *Schroeckio* reſediſſe, eumque plane digniſſimum fuiſſe, qui tantis ex omni parte honoribus mactaretur: *Opera* (inquam) doctiſſima, quorum Catalogum mox dabo, ac reliquas *Vitæ* circumſtantias, corporisque & animi ejus faciem deſcripſero. Matrimonium *Noſter* annô 1678. ad diem 16. Maji iniit cum virgine lectiſſima *Anna Catharina*, nobilis ac famigeratiſſimi Mercatoris *Porphyrii Pfanzeltii* filia, jucundum illud quidem ſed prole minus fæcundum; cum ex ea non niſi unicum filium genuerit, quem poſt unius anni ſpatium atrox Libitina præmaturo ſuſtulit fato. Unde *Noſter*, morti proximus, id maxime in votis habuit, ſibi ut ante ſupremam diem coram videre ſemel adhuc liceret *Joannem Lucam Schroeckium* propinquum

ſuum

ſuum laude digniſſimum, tum *Lipſiæ* morantem, qui ſolus *Schroeckiani* nominis hæres ſupererat.

Hanc autem ſobolis orbitatem *Noſter* doctis laboribus compenſans, & quod natura negaverat, ingenii fœtibus ſupplere ſtudens uxori ſuæ hilare & amœniter convixit usque in annum 1709. quô ad diem 24. Decembris eandem morte eripi ſibi dolens vidit. Quare amiſſæ deſiderium conſolaturus, ejusque memoriam in ſeros conſervaturus annos, ſequens Monumentum in Cœmeterio ad *S. Stephani* erigi curavit:

AMORIS
HOC MONUMENTUM
CONJUGI DESIDERANTISSIMÆ
ANNÆ CATHARINÆ N. PFANZELTIÆ
IX. KALEND. JANUAR. ANNO CHRISTI MDCC. X.
PIE DEFUNCTÆ
ET
IN DOMINO HIC QUIESCENTI:
QUOD UT ETIAM
SUUM IPSIUS CONDITORIUM,
QUANDOQUANDO DEUS JUSSERIT,
ESSET,
SUB CERTISSIMA GLORIOSÆ RESURRECTIONIS
PER CHRISTUM SPE ET FIDUCIA
F. F.
LUCAS SHROECKIUS, LUC. FIL.
MEDICUS AUGUSTANUS.

Sic poſtquam *Noſter* viduitatis mærores, & ſenectutis aggraveſcentis incommoda per annorum 20. quibus uxori ſupervixit, ſpatium fortiter tulerat, ipſe *maraſmo ſenili* conſumptus mortalis vitæ ſuæ curſum complevit annô 1730. die 3. Ja-

nuarii, horâ poſt meridiem nonâ; cùm inter homines fuiſſet annos 83. menſes 3. dies 31. cùm Bibliothecam ſuam, optimis & præſtantiſſimis libris refertam civicæ Bibliothecæ publicæ inſeri teſtamento juſſiſſet, etiam poſt favillas et cineres utilis eſſe orbi litterario volens.

Mortuum *Samuel Urlſperger* Miniſterii Auguſtani *Senior*, Paſtor ad *S. Annæ* concione funebri laudavit, cui typis excuſæ acceſſit *Phil. Jac. Crophii Memoria Schroeckiana* (ùt monui) & *Carmen* in *Noſtrum*: item *Roſini Lentilii*, Conſiliarii & Archiatri ducalis Würtembergici *h*) *Elogium* Noſtri, ſtylo lapidario ſcriptum, in quo ille *Schroeckium*, alludens ad agnomen ejus academicum, *Celſus*, magnopere deprædicat, & priſco Medico *Aurelio Cornelio Celſo* comparans inter alia ait:

Aurelius Cornelius Celſus
Fuit Vir in omni diſciplina ſummus:
Non ſolum Medicus, ſed etiam Rhetor.
Qualis, amabo! Noſter fuit?
Certe et ipſe Vir in omni diſciplina ſummus.
Non ſolum Medicus, isque exercitatiſſimus,
Sed etiam, ultra Rhetorem,
Philoſophus, Philologus, & quid non?
Ισόθεος, πολλῶν ἀνταξιος ἄλλων.

Fuit *Noſter* teneriori corporis conſtitutione, quam ex matris, ob belli Gallo-Suecici terrores, aliasque temporum illorum adverſitates afflictiſſimæ, curis contraxiſſe ſe, ſed temperantiâ, cui â puero aſſuefactus fuit, firmiorem conſervâſſe monet. Fuit ſtatura puſillus, at animi ingenii

h) Fuit hic *Noſtro* amiciſſimus, & præclariſſimus Medicus, de quo videſis *Keſtnerum* in *Medicinischen Lexicon*, & *Mangetum* in *Biblioth. Scriptor. Medic.*

iique dotibus magnus. Fuit etiam inter multas opes ſobrius ac frugalis. Fuit erga Superiores reverens, erga Deum pius, erga pauperes beneficus. Fuit in converſando ſuavis atque urbanus. Fuit in maximis honoribus demiſſus, omnisque arrogantiæ oſor. Fuit in omni vita impiger, ſedulus, & ſecundum lemma, ſemel adoptatum, *nunquam otioſus*. Sed jam *Catalogus Operum* à *Noſtro* relictorum me vocat. Sunt illa:

I. *Exercitatio academica de Moſcho ad diſputandum propoſita, ſub præſidio Jo. Theod. Schenckii. Jenæ.* in 4to. 1667. De hac initio *Vitæ* dictum. Dicavit *Noſter* Jo. Chriſtoph. *Ammano*, Hieron. *Sulzero*, Jo. Phil. *Ammano*, Jo. Jac. *Kolbio* Scholarchis *Auguſtanis*. Accinuit opellæ Profeſſor *Jo. Theod. Schenckius*.

II. *Diſſertatio inauguralis medica de Bulimo, eodem Schenckio præſide.* 1669. De hac quoque *ibidem* ſatis dictum.

III. *Pharmacopoea Auguſtana reſtituta, ſeu Examen Animadverſionum Jo. Zwelferi in Diſpenſatorium Auguſtanum &c. &c.* in 4. *Auguſtæ Vindelicorum.* 1673. Iſtud Opus *Noſter*, poſcente Collegii medici Auguſtani honore, et Collegarum voluntate impellente, ad refrænandum hoſtem, uti impune et jactanter hactenus graſſatum, ita rei medicæ apud *Auguſtanos* ignominiam et invidiam conflare conatum, immo plerisque ex ſilentio *Auguſtanorum* Medicorum magni habitum, publicavit. *His verbis Joannem Zwelferum, Palatinum, Medicum* Viennenſem *indigitari, nemo in Hiſtoria literaria Medicorum tam hoſpes eſt, ut ignoret. Is enim, neſcio quo animo (invido certe et dicaci, ut inſolentiora ejus ſubinde verba et ſcribendi ratio prodit)*

dit) Pharmacopœiæ Auguſtanæ (*a celeberrimo* Adolpho Occone III. *primum editæ et a ſucceſſoribus, imprimis magni nominis et experientiæ Medico* Raymundo Minderero, *uti etiam* Joanne Heniſio, *de quo paulo poſt agam, emendatæ et auctæ, et in plerisque S. Rom. Imperii locis, ditionibus et urbibus, immo in exterorum quoque regionibus hactenus pro norma rei pharmaceuticæ habitæ et uſurpatæ*) *refutationem, correctionem et temerariam emendationem ſuperbo ſatis et præfidenti animo auſus*, Animadverſiones in Pharmacopœiam Auguſtanam ejusque Mantiſſam, ſive Pharmacopœiam Auguſtanam reformatam, Norimbergæ 1652. *fol. edidit, et in altera editione, quæ* 1657. *lucem vidit*, Appendicem *addidit. Cui ſcriptori, cetera non indocto, ſi id conſtitutum fuiſſet, ut opinionis et chymicæ* Θεωρίας *ſuæ rationes exponeret, dubia propelleret, et quæ a ſua ſententia diſcedebant, modeſte examinaret, tantum abeſt, ut id Medicis* Auguſtanis *diſplicuiſſet; ut ſine dubio laudem multam iſto pariter labore atque* Pharmacopœia regia, *qua medicamentorum novam conficiendi rationem oſtendiſſe ſibi viſus eſt, ab eis atque univerſo orbe erudito reportaviſſet. Sed alia erat mens* Zwelferi, *qui ſua non cum laude edita, et egregie* (*ſi Diis placet*) *commendata putabat; niſi cuncta bile et amaritudine conſpergeret, manes Virorum ſumma laude inclytorum conſpurcaret, et* Auguſtani Diſpenſatorii *famam, per integrum ſeculum ſancte conſervatam, convitiis inquinaret. Noluit tamen* Collegium medicum *cum homine, non aliam litis cauſſam et finem ſibi ſtatuente, quam ut ignobili pugnæ genere gloriæ Medicorum* Auguſtanorum *detraheret, contentionis ferram reciprocare: ſed aut ad meliorem*

men-

Digitized by Google

mentem eum redituruṁ, aut ſua ſe impudentiâ et canina dicacitate peremturum, apud idoneos æquosque judices, ſperavit: unde, rarâ patientiâ uſum, ſilentiô inſolentiam ejus ſuppreſſit, et dignâ tantis Viris modeſtiâ tam atroces injurias patienter devoravit. Quæ tantum abeſt, ut Zwelferi *animum ad modeſtiam compulerint, ut potius in ultima* Operum *editione vehementes ſatis injurias in inclytum illud Medicorum Collegium iterum evomuerit; quo quoque animo tandem, non expectato reſponſo, ad plures antagoniſta abiit. Quæ omnia eo magis tolerabant, et patienter negligebant Viri optimi, quòd, ne mortuo leoni inſultare viderentur, ſi ad imputationes et criminationes hujusmodi reſponderent, metuebant. Cum vero non eruditi tantum viri hactenus iſtud ſilentium improbaviſſent, ſed et ſeplaſiarii et pharmacopolæ i) miram ſibi ex modeſtia et patientia* Auguſtanorum *Medicorum audaciam ſumpſiſſent: cumque injuriarum et ſcriptillantium pruritûs nec modus nec finis eſſet, et varia quoque affingerentur venerando Medicorum Collegio, quæ intolerabilia prorſus erant; immo* ὑπερασπίσης, Schmuzius *quidam, indecoro pugnæ genere, Collegio medico, cujus partes ſe tueri crediderat, labem inſulſa ſcriptione aſpergere videretur, permovit tandem in venerandos Majorum cineres pietas, erga veritatem amor, erga Collegas honor excellentiſſimum* Schroeckium *noſtrum, ut ad apologiam ſe accingeret, et, expenſis atque ad trutinam rationis et experientiæ examinatis* Zwelferi *et aſſeclarum objectionibus, egregias vindicias libri*

i) De horum Libellis, atque impudentia: nec non de tota iſta controverſia fuſius egit *Bruckerus* in *Hiſtoria Vitæ Adolph. Occonum*, *p.* 62. & *ſeqq.* quem confer, ſi placet.

Digitized by Google

præſtantiſſimi pararet, quas conſenſu Collegarum, etſi inter eos ætate et auctoritate minor, ſub ante dicto titulo, *in patria, anno* 1673. *edidit. Quo in loco præteriri non debet, ita ſe in prolixa iſta apologia geſſiſſe* Schroeckium, *ut neque eruditionis accurationem, neque experientiæ certitudinem, neque dictionis nitorem, neque modeſtiæ ſingularis ſpecimina jure quis deſideret, et ita debellati fuerint adverſarii, ut propriis telis jugulati, quæ reſponderent, non invenerint.* Hactenus verbatim BRUCKERUS, a quo multa quoque eorum, quæ ſequuntur, mutuatus ſum.

IV. *Pharmacopoeiæ Auguſtanæ reſtitutæ Defenſio*, qua inprimis *Frid. Hoffmanni* argumentis reſpondetur, ſimulque *Philonis* cujusdam *Naſturtii Poſtſcriptum* et *Schmuziana Antitheſis* excutitur. in 4. *Ibidem.* 1675. *Hujus Defenſionis ſcribendæ occaſio ſequens fuit. Prorepens in ſcenam poſt* Zwelferum *emendicatus* Mulleri *pharmacopœi* Viennenſis *calamus, qui ſe umbræ Zwelferianæ paraſtatam venditabat, vel potius* Spænholzius *quidam, qui* Philonis Naſturtii *nomen mentitus fuerat, non* Schmuzio *tantum, ſed* Schroeckio *quoque canina prorſus rabie et inhumana dicacitate reſpondit .... ad quod convitiorum et verborum male cohærentium miſerabile chaos pauciſſimis et ita reſpondit illuſtris* Pharmacopœiæ Auguſtanæ *Defenſor, ut invictam patientiam non minus, quam elegantem eruditionem Lectoribus admirandam propinaverit.... Prolixiorem vero tractationem requirebant, quæ celebris nominis Medicus* Frid. Hoffmannus *in* Clave pharmaceutica Schrœderiana *protulerat, dubia; qui quod modeſtia et eruditione tinxerat calamum, et* Zwelferi *partes moderate ſuſceperat, talem expertus eſt* Noſtrum

ſtrum, *ut pateret, non cum inſulſis tantum, ſed et cum viris doctis congredi noſſe* Schroeckium: *dubiumque eſſet, utrum plus honoris afferret, hunc in modum vincere, an vinci?*

V. *Memoria Welſchiana*, ſive *Hiſtoria Vitæ Georgii Hieronymi Welſchii* Medici Auguſtani. in 4. *Ibidem* 1678. Cum Vir iſte doctiſſimus, cujus Scripta, raram inſolitamque eruditionem ſpirantia, æternum *Auguſtæ* ac litterati orbis ornamentum erunt, inchoatam a ſemetipſo *Vitæ ſuæ* conſcribendæ telam, mortis telo præventus, pertexere non potuiſſet, *Noſter* non tantum privato affectu monumentum *Avunculo*, *Compatri*, *Medico*, *Collegæ*, *Civi* poſiturus, ſed etiam ex *Academiæ Curioſorum Naturæ* laubabili inſtituto memoriam tam celebris Membri ſeræ poſteritati commendaturus, ſupraſcriptum *Opus* vulgavit: in quo de vitæ ejus ratione, eruditione, honoribus, amicis, Scriptis tum editis tum meditatis, quorum numerum & argumentorum raritatem merito ſtupeas, luculenter diſſeruit. Ita *Bruckerus*. Acceſſerunt Operi *Amoris & Honoris Monumenta Welſchii manibus poſita ab Auguſtanis*: ſive *Carmina Jo. Crophii* Ephori, *Georg. Frid. Magni* Rectoris Annæani, *Narciſſi Rauneri*, *& Jo. Jac. Welſchii* Nepotis ex fratre.

Laudat idem Opus *Chriſt. Guil. Keſtnerus* in *Biblioth. medic.* ſed improbat, quod *Noſter* nævos *Welſchii* adducere neglexerit, *recenſere illos nil quidquam ad rem facere, immo de bene meritis poſt mortem non niſi bene ſentiendum eſſe* arbitratus. Contra *Keſtnerus*, auctoritate MORHOFII (*Polyhiſtor. T. I. L. I. c.* 19.) ſeſe muniens, ſequentia habet: *Omnino Welſchius manſiſſet, qui erat, magni nempe*

atque celebris nominis Vir, ſi vel maxime imbellicitates ejus ſincere fuiſſent detectæ. Quivis prudens cogitaſſet illud HORATII:

Optimus ille eſt, qui minimis premitur.

VI. *Methodus medendi Walæo-Welſchiana*; cum Præfatione & Indice. in 12. *Ibidem.* 1679. Poſt quam neceſſitudinis & amicitiæ jure, ex teſtamento *Welſchii*, quædam ejus anecdota ad *Noſtrum* deveniſſent, noluit ea ſupprimere *Schroeckius*, ſed iteratis Eruditorum votis ſatisfacturus, tum dictam *Methodum*, tum etiam

VII. *Georg. Hieronymi Welſchii Curationum propriarum & Conſiliorum medicorum Decades X.* 1680. typîs publici juris fecit, conſecrans *Leonardo Weiſſio* Duumviro *Auguſtano*, eo meliùs de Republica litterata meritus, quò plures aureas horas in deſcribendis non ſine maximo faſtidio *Manuſcriptis* inſumpſit, unice Lectorum utilitati ſtudens.

VIII. *Joannis Helwigii*, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, Phyſici *Ratisbonenſis*, *Obſervationes phyſico-medicæ.* in 4. *Ibidem.* 1680. Has poſt funera Auctoris nactus *Jo. Georg. Volckamerus*, immortalis nominis Medicus, *Welſchio* edendas transmiſit: &, hoc quoque fatîs prærepto, *Schroeckio* commendavit publicandas, *Scholiis*que augendas; quod is ſingulari induſtria ac felicitate, Senatui Reipublicæ *Ratisbonenſis* dedicans, præſtitit (teſte *Bruckero l. c.*) ut mirabile et lectu jucundiſſimum ſit, occaſione *Obſervationum Hellwigianarum* tot annotationes enaſci doctiſſimas, tot Virorum celeberrimorum exponi cogitationes, tot ſingularia afferri rerum inuſitatarum momenta; unde varia & multiplex *Schroeckii* eruditio ſeſe latiſ-

tiſſimè demonſtravit &c. &c. Addita eſt *Vita Helvigii*, *Volkameri* benevolentiæ in acceptis referenda.

IX. *Hiſtoria Moſchi*, *ad normam Academiæ Curioſorum Naturæ conſcripta.* in 4. c. fig. *Ibidem.* Impenſis *Theoph. Goebelii.* Excudit *Jo. Jac. Schönigkius.* 1682. Eleganti *Carmine* dedicavit *Noſter*, volente *Academia Naturæ Curioſorum* conſcriptam, *Anſelmo Franciſco* Electori Moguntino, Protectori ejusdem *Academiæ.* Quod *Noſter* anno 1667. in *Moſcho* elucidando cœperat, hoc anno conſummavit; dum memoratum *Opus* luci expoſuit, in quo de *Moſchi* nomine, origine, et variantibus auctorum ſententiis, de animali moſchifero ejusque folliculo locoque natali, de Moſcho adulterino veroque, ejusque natura, qualitatibus, incommodis, virtutibusque in omni fere morborum genere, de doſi moſchi, medicamentis moſchatis, uſuque moſchi ſacro, politico, oeconomico, coſmetico, emblematico, deque rebus naturalibus moſchatis, tanta eruditione, variæ lectionis copiâ (per auctorum veterum et recentiorum latifundia ſe diffundente) tanto inprimis philologiæ curioſæ præſidio differit, ut prævia magni *Volckameri*, *Fehrii*, et *Georgii Franci* elogia quam maxime commeruiſſe videatur. Hactenus *Bruckerus l. c.* In hoc *Opere* elaborando *Noſtrum Athanaſii Kircheri* ſuppetiis adjutum fuiſſe, nullus dubito, qui, tum a patre tum a filio rogatus, ſequentia eis reſcripſit: patri quidem anno 1668. Calend. Junii, *aureum de Moſcho Opuſculum ſumma animi mei voluptate evolvi*, *in quo omnia*, *quæ de propoſito argumento in quæſtionem venire poſſunt*, *multiplici eruditionis apparatu ita egregie et affluen-*

ter

ter diſcuſſa ſunt; ut quid a me, quid ab aliis amplius jungi poſſit, non videam. Ne tamen votis tuis refragari videar, ſatagam, ut ſi quid tum circa hoc, tum circa alia curioſioris doctrinæ phyſiologicæ argumenta, ex Indiis *quotannis, ab Amicorum liberali manu, Tuò dignum ingenio, ad me transmiſſum fuerit, id tibi, cœpto jam literario commercio, lubenti volentique animo communicem*: filio autem anno 1671. die 24. Julii, *quæ de Moſcho explorando per P. Proſp. Intorcettam mihi præcepiſti, exequar, mox ac ad nos ex Sicilia reverſus fuerit.*

X. *Hygeia Auguſtana, ſeu Memoria ſæcularis Collegii medici Auguſtani.* in 4. *Ibidem.* Typis *Koppmayerianis.* Excudi curavit *Theophilus Göbelius.* Dicavit *Noſter* in ſinceri amoris memoriam *Collegio medico Auguſtano.* Jam in *Alphabeto VIII. pag.* 139. monui, anno 1582. *Auguſtæ* auctoritate Senatûs, operâ *Lucæ Steuglii* vel *Stenglini,* Collegium medicum coaluiſſe. Hujus *Jubilæum* pro virili celebraturus *Noſter* ſupradictam *Hygeiam* ſcripſit, meletema ad Hiſtoriam medicam Auguſtanam omnino neceſſarium, a me in *præcedenti Alphabeto Bibliothecæ* hujus multoties citatum, in *præſenti* itidem multoties citandum: in quo non hiſtoriam tantum (ùt *Bruckerus* bene monet) *Collegii*, et Virorum celeberrimorum, qui *Auguſtæ* floruerunt, in artem ſalutarem merita, ſed ipſius quoque inclytæ Reipublicæ in divinam hanc artem benevolentiam, et ſtudium elegantiſſime expoſuit, magnámque eo nomine gratiam, tum ab illuſtribus Reipublicæ proceribus, tum ab ipſis *Collegii* medici membris iniit. Recuſum habes ad calcem *Hiſtoriæ Adolph. Occonum* à *Bruckero*, *Lipſiæ.*

Digitized by Google

ſitæ. in 4. editæ. Ex hoc unico Scripto *Jöcherus* in *Gelehrten-Lexicon* male duo facere videtur.

XI. *Pharmacopoeia Auguſtana renovata et aucta.* Hanc edidit ter: primum anno 1684. deinde 1695. tertiùm vero ſuis ſumptibus cum *Welſchianis* quibusdam *Animadverſionibus.* fol. 1710. Confer *Acta Eruditorum Lipſienſium*, ad annum 1711. *p.* 314.

Non poſſum non addere *Cenſuram*, quam *Acta Aeademiæ Curioſorum* proferunt his verbis: *Tametſi ſingula ingenii Schroeckiani monumenta eximiam prorſus eruditionem veluti certatim eloquantur; ſeorſim tamen illis in Auguſtanam Pharmacopoeiam perpoliendam pariter, ac defendendam impenſis laboribus, apud Medicorum non minus quam Pharmacopoeorum ordinem, ampliſſimam gratiam, et hoc inſuper promeruit Auctor doctiſſimus; ut quaſi dictatoriam ipſi dignitatem in re pharmaceutica ultro detulerint quamplurimi, laudatumque Diſpenſatorium perpetuam ſibi normam conſtituerint.*

XII. *Obſervationes medicæ*, de quibus ſupra dictum, quamplurimæ, quæ extant in Voluminibus *Academiæ Curioſorum Naturæ*, et quarum diſtinctum Catalogum *J. J. Mangetus* in *Bibliotheca Scriptorum Medicorum*, *T. II. P. II. p.* 217. exhibet, ſequentem, appoſitis *Voluminibus* et *paginis k*), ubi eas reperire eſt. Sunt illæ: *De Hippolitorum Hiſtoria. De Calculis renum & veſicæ in bobus. De raro paſſerum Canarienſium colore. De Aloe Auguſtana. De Inteſtinis fœtûs, extra naturalem locum pendulis. De Animali moſchifero. De Cate-*

k) *Hac & has* in hoc loco reſcribere non juvat; quod reſcribendo plus, quam par eſt, chartæ inſumeretur.

Catechu. De Calculo Veſicæ, ſponte diſſoluto. De Anatome Iliaci. De Enterocele, abſceſſu Inguinis ſpontaneo ſanatâ. De Bufone, per alvum excreto. De Iſchuria ſpuria 17. dierum lethali, perluſtrato cadavere, memorabili. De Pilis marinis. De Ovis monſtroſis. De Hepate gallinæ, enormis magnitudinis. De Corporibus ſphæricis in ventriculo humano repertis. De calculo ingenti, canalî à natura excavato. De Globo ſclopetario juxta umbilicum immiſſo, per alvum ſalutariter excreto. De Cariophyllis aromaticis. De Vulneribus Ventriculi, non ſemper lethalibus. De Vulneri ſuperveniente convulſione, non lethali. De Secundina, in utero retenta. De Calculis in Rupicaprarum ventriculo et omento repertis. De Muliere, aliquot filiorum matre, nunquam menſes aut lochia paſſâ. De Hæmorrhoidum ſuppreſſione, minùs tutâ. De Purgantium externè adhibitorum virtute interna. De Ovis in Ovis. De utilitate ex Anatome Brutorum. De Anatome Noctuæ. De Pediculi, ope Microſcopii, accuratiore conſideratione. De Anatomiæ hominis et ſimiæ differentiis. De Muſcarum oculis. De Dorſi ineffabilis pruritûs cauſſa. De Canitie Juvenum. De Idioſyncraſia. De noxio Ribium eſu. De Noxa comeſtarum radicum Aconiti. De Verme per meatum urinarium excluſo. De Meatu, ab inteſtino cæco, ad veſicam. De Aqua hydropicæ cujusdam, ex hypochondriis fluente, morbum ſolvente. De Tympanitidis et Colicæ flatulentæ difficilis curationis cauſſa. De Lochia aquoſa. De Aphonia rara. De Vermibus, ex naribus excretis. De Virtute ſalicis antiphthiſica. De Ptyaliſmo ſymptomatico, in quibusdam morbis nonnunquam ſalutari. De uſu Empl. de Meliloto cum Oleo chamomillæ in Angina. De

Auri-

Auribus ſerpentis alicujus monſtroſis. De Fecibus alvinis, et lumbricis per umbilicum excretis. De Proceſſu falcato, antrorſum cranio arcte adhærente. De Pleuritide, venæ ſectione curatâ. De Vita animalium, evulſo corde, ſuperſtite. De Vomitu infeliciter coërcito. De Epilepſia, ex decocti hyoscyami fomentatione. De noxio Cucurbitarum ſuccô. De Injectione variorum materialium per incantationem. De uteri, locô fœtûs, incauta extractione. De flagri funiculo, e veſica a Lithotomo extracto. De Elephantia Iavæ nova. De Serpentibus magnis Indiæ. De nube Pyramidali in Oceano attractiva. De Pomis citriis monſtroſis. De Pomo aurantio citrato. De Anatome Calculoſi. De Teſticulo, in inguine abſcondito. De difficultate reſpirandi, et ſubſecuta ſuffocatione ab hepate magno. De Epilepſia Puerperæ, a partu originem et medelam habente. De Sudore ſanguineo Scorbuticorum. De Fomite, Hæmorrhagiæ in carpo medela. De uſu oſſium humanorum, præcipue in dyſenteria. De Lapſu ex alto indemni. De Nauſea panis. De prodigioſæ lactis copiæ exemplis. De Urticæ vi hæmoſtatica. De Picæ et Appetitûs depravati cauſſa. De Pulſu deficiente. De Dentis evulſione lethali. De Antipathia cum felibus. De Lingua magna. De Fiſtula Linguæ. De Vini in febribus, præſertim ardentibus, uſu. De Aquæ-Fortis epotæ curâ. De Veſtimentis, linteis, chartisque amiantinis. De Cervâ cornutâ. De Menſium, per os exeuntium, curatione. De Conſtrictione, fœminis Iapponicis gravidis innoxia. De Vermibus nivalibus. De Tumore foetûs ſupra os ſacrum, in utero materno contracto. De Oſſiculis, ex ſarcocele ſuppurata prodeuntibus. De Hydrocele, a catarrho orta. De Æga-

gagropila badzahardica. Podagra et Oſſium excreſcentia in Capone. Aſthma ſiccum, convulſivum, eſu raphani ſanatum. De Cervo glande plumbea trajecto à Sereniſſimâ Electrice Brandenburgica Dorotheâ &c. &c. mortui inſtar proſtrato, et poſt tres horæ quadrantes quatuor circiter paſſuum millia aufugiente. De gemino Rhinocerotis cornu. Anatome amauroſi laborantis. Amauroſis curata. Iſchuria octiduana curata. Iſchuria duodecim dierum curata. De Phalæna maxima. De Termitibus, cum urina excretis. De Verme quadrato. Anatome Dyſuriâ extincti. Hydrops ſaccatus. De Suturâ cranii dehiſcente. De Sanguine albo. De Fungulis minimis ſeminiferis. De Fixatione ſalium volatilium urinoſorum. De Anatome Viri, hydrope et fluxu hepaticô defuncti. De inſigni brachii et manûs tumore. De Anatome Iſchuriâ defuncti. Anatome Phthiſicæ. Auditus Laconicô ablatus et reſtitutus. De Infante hydrocephalo. De Fungo Corylino florido. De Lapide Butleri. De Anatome Empyematici. Hiſtoria Epidemica Auguſtana Ann. 1696. De Uſu Mercurii in colica convulſiva. De Anatome hominis, diuturna alvi obſtructione demortui. Hiſtoria epidemica Germaniæ, Conſtitutio epidemica Auguſtana Ann. 1697. & 1698. De Ligno fagino figurato. De farina minerali. Conſtitutio epidemica Auguſtana Ann. 1699. et 1700. De Aphoniâ ſingulari. De Anatome Puellæ, aſthmate et convulſionibus defunctæ. Conſtitutio epidemica Auguſtana Ann. 1701. 1702. 1703. 1704. et 1705. Gravis Abſceſſus abdominis curatus. Dyſuriæ cauſſa rara. Conſtitutio epidemica Auguſtana Ann. 1701. et ſequentium. Calculorum ſingularis excretio. Conſtitutio epidemica Auguſtana Anni 1711. & ſequen-

Digitized by Google

& ſequentium. Hydrops peritonæi. Conſtitutio epidemica Auguſtana Anni 1715. *&* 1716. *De Auro anatinb. Sacculi in inteſtino ileo. Conſtitutio epidemica Auguſtana Anni* 1717. *De Calculis veſicæ.*

Hucusque MANGETUS — Addes his ſequentes *Obſervationes* ab ipſo omiſſas: *Conſtitutio epidemica Auguſtana Anni* 1695. item 1706. *De Urina chyloſa.* Confer *Alb. de Haller Biblioth. Medicin. practic.* qui *T. II. p.* 446. inſuper monet, extare typis excuſum tractatum ſequentem.

XIII. *Emmanuel. Stupani & Lucæ Schroeckii* (haud dubie, *noſtri*) *De Vipera & Unicornu.* in 4. *Baſileæ.* 1690.

MATTHIOLI (*Ferdinandus*) fuit *magni illius Medici, Petri Andreæ* MATTHIOLI, *filius a*); *Tridenti* matre *Hieronyma*, è Comitum *Varniæ* familia, natus *b*); *ob paternam propriamque virtutem, tum urbis Auguſtanæ Phyſicatu, tum multis honoribus aliis inſignitus; auguſtiſſimi Cæſaris* Matthiæ, Ferdinandi *Bohemiæ Regis, &* Joann. Georgii *Electoris Saxoniæ Conſiliarius* atque *Archiater; Comes Palatinus cæſareus, & armatæ militiæ Eques auratus;* cujus, quòd cum fratribus ſuis, uno *germano*, altero *conſanguineo*, *paternam gloriam moribus & doctrinâ intermori minimè paſſus ſit*, hoc in loco memoriam egiſſe juvabit: etſi nullum Opus ab eo editum hactenus invenire potuerim.

In-

a) V. *Luc. Schroeckii Hygeiam Auguſt. p.* 109. De Patre videri poterit præter alios *Mangetus* in *Biblioth. Scriptor. Medic.*

b) Vide *Freheri Theatr. Erudit. p.* 1274.

Inter claros *Auguſtanos* Medicos *Noſtrum* ad annum 1590. annumerat *Cruſius c*). Eius hæredes anno 1632. fruſtra obluctante Senatu *Auguſtano*, in Ordinem *Patriciorum* cæſarea auctoritate adſcriptos fuiſſe, docet *Paulus à* STETTEN *ſenior d*).

c) In *Annal. Suevic.* ad hunc annum.
d) In *Hiſtor. Auguſt.* vernacula, *T. II. p.* 12.

HOECHSTETTERUS (*Philippus*) *Auguſtanus*, de quo dixi in *Alphabeto VI.* hujus *Bibliothecæ Auguſtanæ. p.* 119. et cujus *felicisſimam praxin medicam, ſolida eruditione partam, urbs patria ſemper admirata, tanti fui Æſculapii memoriam nondum pectore depoſuit*; uti ad annum 1682. teſtatus eſt *Luc. Schroeckius l. c. Noſtrum* anno 1601. *Baſileæ* ſub *Stupano* quodam in *publica Diſſputatione* reſpondiſſe, connotavit *Alb. de Haller* in *Biblioth. Medicin. practic. T. II. p.* 348.

HOECHSTETTERUS (*Jo. Philipp.*) de quo itidem habes in *Alphabeto* mox citato.

ROMEL (*Baruch Loth*) de quo memini in *Alphabeto I.* meæ *Bibliothecæ.*

WIDEMANNUS (*Carolus*) *Monacenſis*, de quo egi in *Alphabeto VI. Bibliothecæ* hujus, *p.* 116. *Noſtri* memoriam agit quoque *Alb. de Haller* in *Biblioth. Medicin. practic. T. II. p.* 650. ubi recenſet Opus ſequens: *Drey auserleſene Tractätlein von der Peſt*, PARACELSI *cum Comment. Joh. Kornthauer*: *Rol.* CAPELLUTI, *& Caroli* WIDEMANN. *Franckfurt.* 1640. in 4.

WIDE-

WIDEMANNUS (*Georg. Sebaſtianus*) *Auguſtanus* patriâ, ſub *Melchiore Sebizio* Medicinæ Doctore & Profeſſore *Argentinenſi* anno 1630.

I. *De Notis Virginitatis.* in 4. *Argentinæ.* reſpondit. Extat item ejus.

II. *Diſputatio inauguralis de Iſchiade.* in 4. *Argentinæ.* 1630.

Vide *Lipenii Biblioth. medic. p.* 234. 475.

WIDEMANNUS (*Marcus*) *Auguſtanus*, qui *Yſenæ* in *Algovia* artem medicam factitavit, ibique anno 1635. ex peſte, diem clauſit extremum. Ejus extant.

Epiſtolæ II. de malitioſa Scarificatione, quas in *Gr. Horſtii Obſervationum medicinal. Ulmæ. L. IV. poſterior p.* 469. 472. videre eſt. *Ibidem* etiam habentur in limine totius Operis *Epiſtola Noſtri* ad *Horſtium*, quâ eundem ad illud edendum excitat, & terſum *Carmen propempticum* ipſius Operis.

V. *Luc. Schroeckii Hygej. Auguſt. p.* 413. *Lipenii Biblioth. med. p.* 413.

HEBENSTREIT (*Georgius*) patria *Auguſtanus a*) vixit ſæculo XVII. ineunte. Fuit Phyſicus *Nyrtingæ*, oppido Ducatûs *Wurtembergici*, â quo ſequentia habentur.

I. *Epiſtola medica.* Extat in *Ciſta medica Joann. Hornungi. Norimbergæ.* in 4. 1625. Apud. *Simonem Halbmayerum.*

a) Huic, uti & mox ſequenti *Jo. Baptiſtæ*, patrem fuiſſe, ſuſpicor *Joann. Baptiſtam Hebenſtreitum* Miniſtrum Verbi, *Auguſtæ*; de cujus vita et ſcriptis meminerunt FREHERUS in *Theatro*: JOECHERN in *Gelehrten - Lexicon.* CRUSIUS in *Annal. Suev.* Liber: *Miniſterium evangelic. Auguſtan.*

Digitized by Google

II. *Epiſtolæ II. de Veneno Canis rabidi.* Reperitur in *Gregor. Horſtii Obſervat. medicinal.* Libr. IV. poſterior. *p.* 437. 441. *Ulmæ.* in 4. 1628. Apud *Saurium.*

III. Πίμπτας una Quæſtionum miſcellanearum politico-medicarum. in 12. *Tubingæ.* 1627. Apud *Philibertum Brunnium.*

Vide *Mangetum, l. c. König Biblioth. v. & n. Lipenium l. c.*

HEBENSTREIT (*Jo. Baptiſta*) *Auguſtanus*, frater præcedentis *a*), de quo, etſi medendi artem profeſſus non ſit, ſed potius *Philologus* dicendus ſit, hoc loco meminiſſe juvat; quod quædam medici argumenti ſcripſerit.

Fuit *Poeta laureatus cæſareus, Rector Gymnaſii Ulmenſis, Hiſtoriarum & Poeſeos Profeſſor. Antiquarium* etiam *Ulmanum* vocat eum frater *Georgius.* Obiit anno 1638.

Scripta *Noſtri* typîs procuſa publicîs repperi ſequentia:

I. *De ſingulari Bilis Effuſione Epiſtola ad Gregorium Horſtium*, quâ fidei ſuæ commiſſi nobilis adoleſcentis morbum *Horſtio* & *Sebaſtiano Stromaiero* deſcribit. Habetur in *Horſtii Obſerv. medicin. Libr. IV. poſterior. p.* 443.

II. *Divinatio in naturam ſtudiumque Philologiæ, diſciplinarum omnium ſociæ.* in 4. *Apud Ludovicum Biſchoff. Ulmæ.*

III. *Hypomnemata philologica.*

IV.

a) V. HORSTII Medici longè celeberrimi *Obſervat. medic. Ulmæ.* in 4. Libr. IV. poſterior. *p.* 437. *lin. ultima.* item *p.* 439.

Digitized by Google

IV. *De Studiis tyronis ad jurisprudentiam provehendis.* in 4. *Ulmæ.* 1625.

V. *Horſtias; hoc eſt: Horſtianæ Familiæ Miſnicæ* Ἀποσημείωσις *epica ad Gregorium Horſtium.* Extat cum *Horſtii Obſervat. medicin. Libr. IV. prioribus. p.* 553.

WILDE (*Ieremias*) nobilî apud Auguſtanos familia oriundus *a*), Poëta, â quo extat

Liber de Formica. in 8. *Ambergæ.* 1615. *Apud Schönfeldium.*

Recuſus habetur in *Caſparis Dornavii Amphitheatro, Tom. I. b*).

a) V. *Cruſii Ann. Suev.* in *Paralipomenis, c.* 8. & *Seyfferti Tabul. genealog.*

b) V. *Mangeti Biblioth. Script. Medic.* & *alios.*

HENISIUS (*Joannes*) fors etiam *Heniſchius*, patriâ *Ulmenſis*, artem medicam primùm in patria, ſubin *Auguſtæ* factitavit; unde illum inter celebres Medicos *Auguſtanos* recenſet *Paulus à* STETTEN *ſenior* in *Hiſtoria Urbis Auguſtanæ*, vernacule ſcripta, *T. II. p.* 558. addens: *eum editis variis libris, concinne exaratis, in orbe litterato inclaruiſſe.*

Maximam autem *Noſtro* famam iter conciliavit *Veronenſe*: quod qua de cauſſa is ſuſceperit, accipe. Sævierat annis 1627. & 1628. *Auguſtæ* peſtifera lues quàm vehementiſſime, cui Medici noſtri, & hos inter *Heniſius* quoque multa ſedulitate, animoſitateque obſtiterunt. His permota Civitas *Veronenſis*, eôdem triſtiſſimô malô atrociter vexari ſe videns, ab illuſtri Senatu *Auguſtano* petiit, ut e Loimiatrorum gremio unum ad ſe mitteret, qui graſſanti contagio obicem ponere-

ret. Ivit *Heniſius* noſter, et per ſemeſtre, in propulſanda lue peſſima, tum dexteritate tum felicitate ſumma uſus eſt. Quare eidem navata ſalutaris opera non ſolum *Equitis D. Marci* dignitatem, oblatæ *Profeſſoriæ* in primo loco *Patavii* ſpartæ honorem, nec contemnendas opes; ſed jus quoque civitatis *Veronenſis* & marmoreum monumentum ibidem contulit. Sed Profeſſuræ munus deprecans *Heniſchius* redire in *Germaniam*, priſtinosque reſalutare penates maluit.

Ibi tum ante, tum poſt memoratum iter diverſis aliis honorum titulis atque axiomatibus fulſit. Sic inter *Comites Palatinos cæſareos* locum obtinuit: Sic inter *Poetas laureatos cæſareos* præclariſſimam ſedem cepit; Sic inter Medicos *Electoris Bavariæ* adlectus eſt: Sic *Vicarii* Collegii medici *Auguſtani* munus anno 1649. ſuſcepit. Sic etiam ejusdem Collegii *Decanus* renunciatus eſt.

Cum Viris ſuæ ætatis doctiſſimis amicitiam coluiſſe *Noſtrum*, documento evidenti eſt vel una *Epiſtola* celeberrimi Polyhiſtoris *Joannis Frederici* GRONOVII anno 1644. ad *Noſtrum* ſcripta, quem *J. G. Schelhornius* in *Amoenit. litter. T. IV. p.* 537. exhibet. In ea *Gronovius Noſtro* nunciat, ſe puellam 23. annorum, præclaris ortam parentibus, in matrimonium duxiſſe: mittit dono Opuſculum (quodnam non addit) inter hujus matrimonii primordia natum: ſignificat ſibi redditum eſſe exemplar *Alexiados* (abs *Hoeſchelio* editæ) quod *Noſter* miſerat: flagitat transmitti ſibi *Plautinas Collationes*, quas penes *Noſtrum* viderat *à manu Claravallenſis Comitis illius*, volvendas & revolvendas; quod non ſine fructu litterarum & glo-

& gloria *Noſtri* futurum ſpondet. Demum finit, Noſtrum *ingens Germaniæ decus* appellando.

Opera, quæ â *Noſtro* repperi edita, ſunt ſequentia.

I. Opuſculum ſive Diſſertatio *de Peſte. Baſileæ a*). 1611. in 4. Ita monet *Albertus de* HALLER in *Biblioth. Medic. pract. T. II. p.* 425. Laborem hunc ſuum poſtea petentibus amicis & patronis *germanicam* in linguam convertit: quam Verſionem ipſus quidem non edidit, ſed enim, eô inſciô, *M. Jacobus Hartmannus F. Med. C.* ſequenti titulo: *Kurzer, gründlicher und vollkommener Bericht von der Peſtilenz &c. Augsburg.* in 8. 1621. V. *Ehingeri Catalogum Bibliothecæ Auguſtanæ. p.* 943. in qua ipſa illam oculis meis uſurpavi.

II. *Juſta Anniverſaria magno Duci Wirtembergico ſoluta â Joanne Heniſio D. Ulmæ.* 1624. V. *Ehingerum l. c.*

III. *Pharmacopoeia Auguſtana.* In hac, poſt *Adolphi Occonis III.* primas: poſt *Raymundi Mindereri* ſecundas, *Noſter* tertias curas poſuit recudenda anno 1640. Unde et huic editioni præfatus eſt. V. *Bruckeri Vit.* OCCONUM. *p.* 60.

IV. Neſcio utrum *Noſtro* tribui debeat ſequens Opus: *Aſpaſii Heniſii Ioco-ſeriorum Naturæ & Artis Centuriæ III. Francofurti.* in 4. 1666. Certe *Aſpaſius* in *Græco* eandem ferme ſignificationem habet, ac *Joannes* in *Hebræo.* Interim Opus oculis meis inſpicere, indeque certiora eruere nunquam licuit.

a) Hinc moveor, ut credam, eum *Baſileæ* arti medicæ ſtuduiſſe.

Digitized by Google

Hactenus de *Joanne Heniſio* — Fuit autem et quidam *Jo. Ludov. Heniſius* prioris ex fratre nepos, Medicinæ Doctor, & Phyſicus *Auguſtanus*, quem *Collegam ſuum chariſſimum* ad annum 1682. vocat *Lucas Schroeckius* in ſæpius laudata *Hygeia Auguſt. p.* 111. germanicæ poeſeos haud imperitus: uti docet *Carmen lugubre in obitum Georgii Mülleri* cujusdam *Reichenbacenſis*, *Auguſtæ* defuncti, â me viſum.

BOXBARTER (*Abraham*) *Auguſtanus*, peritus Medicus, natus ibi anno 1580. die 15. Februarii, poſtquam in patrio Athenæo ſub *Davide Hoeſchelio* in optimis litteris addiſcendis ſtudium poſuerat, multaque græci ac latini ſermonis cognitione ingenium excoluerat, *Norimbergam* venit; ubi erudiendis honeſtiſſimis *D. Andreæ Im-Hof* Senatoris Liberis operam navavit. Per illud temporis ſpatium una cum Adoleſcentibus ſuæ curæ concreditis egit Comœdiam, cui titulum fecit:

I. *Adelphoe*, ſtylo probe *Terentiano* ſcriptam, quam ceu *ingenii ſui primitias in ditione Norimbergenſi horis nocturnis* (*ne quid ſuis putaret horis ceſſatum Patronus*) *natas* Hieronymo *Baumgartnero* Duumviro primario, & Antonio *Geudero*, Martino *Hallero*, Paulo *Colero* & Georgio *Volckamera* Scholarchis dedicavit, typis impreſſas *Norimbergæ*, in 8. 1601. Hac re (nil dubito) in gratiam Senatûs *Norimbergenſis* cum magnopere ſeſe inſinuâſſet, dictô annô *Altdorfium* tetendit; ubi *Magiſterii* gradum anno ſubſequenti cepit, *Ephorus*que *Alumnorum* conſtitutus eſt. Biennio poſt (1604.) arti medicæ addiſcendæ ſeſe mancipavit docta-

doctaque anno 1606. ſub præſidio *D. Erneſti Sonneri* præſidio, diſputatione:

II. *De Sanguinis detractione per venas* functus, eodem anno, jubente Senatu *Norimbergenſi*, *Italiam* petiit. In illa regione *Patavii* eam arti ſalutari operam impendit, ut propter ſingularem dexteritatem dignus â Profeſſoribus haberetur, quem in conſeſſum ſuum admitterent. Sic duobûs, et quod excurrit, annîs exactîs in Academiam *Monſpelienſem* commigravit, in qua Doctoratûs laurea redimitus eſt poſt editum Tractatum:

III. *De quatuor Quæſtionibus cardinalibus. Montepeſſulo.* 1609.

Peractis ſtudiis in *Germaniam* reverſus, anno 1610. *Norimbergam*, annoque ſequenti *Winshemium* ſe contulit, ubi anno 1625. quâ *Practicus*, vitam finiit die 2. Martii.

Fuit alius quoque BOXBARTERUS (*Antonius*) *Auguſtanus*: quem, *patriâ dulciſſimâ tricennalis belli injuriis agitatâ valere juſſâ, vicina florentiſſima* Ulmenſium *Respublica poſt legitimam vocationem anno* 1636. *gratioſe excepit, et honorifice ob plurima in eam per integrum* 43. *annorum decurſum merita, usque ad ultimum vitæ halitum* (1679.) *demum exſpiratum, tenuit, non ſine aliqua Auguſtanorum civium ob tantum ſibi ereptum Æſculapium tacita invidia.* Hujus extare *Diſputationem de Lue venerea.* in 4. *Argent.* 1631. typis exſcriptam, tradit *Alb. de Haller* in *Biblioth. Medicin. practic.*

V. WILL *Nürnbergiſches Gelehrten-Lexicon.* & Ejusdem *Biblioth. Noric.* SCHROECKII *Hygeia Auguſt. p.* 110.

BRITISH MUSEUM

THE-

THELOTT (*Iſrael*) patriâ *Auguſtanus*, utriusque Medicinæ Doctor, abſtruſiorum ſcientiarum (ut ipſe in Præfatione Libelli mox memorandi ſatis prodit) gnavus indagator, vulgavit:

Kurzer Bericht, wie man ſich bey dieſen jetzt gefährlichen Sterbensläuffen zu verhalten, in Præſervirung und Curierung. in 8. 1634.

Extat in Bibliotheca publica *Auguſtana*. In fine Auctor, inter præſervantia Remedia, laudat *pulverem* quendam *diacorallium*, quem apud ſe haberi poſſe monet.

WIRSUNG (*Joann. Georg.*) de quo dictum eſt in *Alphabeto VIII.* præſentis *Bibliothecæ*.

NB. In eodem *Alphabeto VIII.* egi de *Chriſtophoro* WIRSUNGO, ubi *pag.* 136. *lin.* 20. poſt verbum, *emiſiſſe*, addes:

Dicti Operis titulum fuſe quoque effert *Albert. de Haller* in *Biblioth. Medicin. practic. T. II. p.* 167. vocatque *librum empiricum, plenum fabellis, quales eo ſæculo receptæ erant &c.* Hoc tamen non impediit, quin poſt *primam* editionem ſæpiſſime recuſus fuerit, uti 1569. in fol. 1577. in fol. correctior à *Jac. Theod. Tabernæmontano*, *Neoſtadii.* 1582. in fol. 1588. in fol. 1592. in fol. *Francofurti.* 1605. in fol. 1619. in fol. 1661. in fol. item *Belgice*, *Dordraci.* 1593. in fol.

FABER (*Joann. Matthæus*) *Auguſtanus*, qui in *Catalogo* DD. Collegarum *Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Curioſorum Naturæ* vocatur *Matthias*: quod tamen non obſtat, quin unus ac idem ſit. Additur namque, eum *Phyſicum Heilbronnenſem* fuiſſe: & Chronotaxis etiam belle ſibi reſpondet.

Ju-

Digitized by Google

Junior ad Medicinam animum adjecit, cujus penitius addiſcendæ ergò in *Italiam* excurrens, *Patavinam* Academiam inviſit; prout ipſe docet in *Nuncupatoria* ſua, de qua inferius ſermo redibit, ad *Carolum Patinum* hîs verbîs: *Quoties recordor præterlapſi temporis, tanto cariorem ſervo* Patavii *imaginem, quæ, me præſente, tum univerſo populo ſtudiorum amanti fauſta, tum inprimis inclytæ Germanorum Nationi ſingulariter benefica exhibuit Luminaria. Quid non nobis præſtitit...* Aloiſius Molinus *tum, annis* 1650 & 51. *ſupremæ Præfecturæ poteſtatem exercens?..* Laudat deinde *Benedictum Sylvaticum*, *Fortunatum Licetum*, *Petrum de Marchettis*, eisque fatô jam perfunctis quietem apprecatus, pergit: *Compendium omnium cernitis in Illuſtriſſ. Comite* Hieronymo Frigimelica, *cujus effigiem à civibus noſtris academicis anno* 1652. *honoris debiti gratiâ æri inſculptam quoties intueor, etiamnum Virum tantum veneror, doctiſſimique oris percepta ſuaviloquia recolligo. Anatomicus veſter celeberrimus* Dominicus de Marchettis, *uti in oculis meis quotidie verſetur, ipſe* (Patinus) *in Muſæo meo vidiſti, cum* Tabulas meas anatomicas, *ipſius opera ac manuductione, privato labore ex inſpectione et diſſectione diverſorum cadaverum congeſtas: propria manu eaque, quæ juſtæ hominis ſtaturæ eſt, proportione depictas* (Hem! Dignam Medicinæ Studioſo occupationem! Dignum genuino Medicorum filio conatum) *perluſtraſti* — Satis —

Reverſus in *Germaniam*, SS. Duci *Wirtembergico*, *Neoſtadii ad Cocharum*, à Conſiliis medicis fuit: ſubin imperialis civitatis *Heilbronnæ* Poliater primarius conſtitutus eſt. Inſuper in Academiam Cæſaream (ut audivimus) *Curioſorum Natu-*

Digitized by Google

Naturæ, ordine *centeſimus duodecimus* fuit adlectus; unde ex inſtituto ejusdem Academiæ nomen *Plato I.* accepit. Naturæ conceſſit anno 1702. die 21. Septembris. Ab eo extant teſte *Mangeto l. c.*

I. *Strychnomania explicans Strychni manici Antiquorum, vel Solani furioſi Recentiorum Hiſtoriæ Monumentum, Indolis Nocumentum, Antidoti Documentum: occaſione ſtragis quà crebritate, quà celeritate, quà gravitate, mirabiliter noxiferæ & miſerabiliter neciferæ, in Ducali Wirtenberg. ſede, quæ eſt Neoſtadii ad Cocharum, obortæ* 1667. *pridie Kal. Sept. ſtyl. Jul. memoriæ, cautelæ, medelæ gratiâ publico bono dedicata.* in 4. *Aug. Vindel. c. fig. Apud Theoph. Göbelium.* 1677. Nuncupavit fœtum hunc ingenii ſui *Noſter* Carolo *Patino*, Medico, Profeſſori practico Patavino, Amicorum maximo: unde ait: *Ex te ſemper pependit animus meus....* Deinde de *Opere* ipſo pergit: *Te primùm editionem ſuadente, temetipſo etiam ad communem Amicum, celeberrimum Velſchium, indeque typographæum Auguſtanum deferente, nunc in lucem prodit...* Nuncupatoriam ſequitur Carmen *Georg. Franci* Doctoris, Profeſſoris Electoralis:

Eſt πολυθρύλλητον Flacci olim: *Quod Medicorum eſt, Promittunt Medici; tractant fabrilia fabri.*

Es Medicus, ſimul esque *Faber*. Fabricare medendo
Promittis, ſervas hominum fabricasque ſalutem.
Teſtem ſe ſiſtit *ſapiens inſania* FABRI.
Vidit Alexicacus FABRI, ſtupuitque laborem:
Fortunæ ſuæ, ait, FABER eſt Faber. Omnia paucis!
Ecce! FABER *faber eſt fortunæ, hominumque ſalutis.*

Suc-

Succedit Opus, in quô ſe *Græci* & *Hebraici* ſermonis minime rudem variis indiciis *Noſter* prodidit. In fine habetur *Epiſtola* WELSCHII, in qua is Noſtrum *Amicorum* ἀρχαιότατον; *Delicium medicinæ*; *Litterarum decus*; *Margaritum Neccaricum*, *Auguſti ac Mecoenatis Vindelicum*, & *ſuum* vocat. Huic ſubnectitur *Epiſtola* reciproca *Noſtri*, ambæ propoſitum argumentum reſpicientes, magisque elucidantes.

II. *In Miſcellaneis Curioſorum Naturæ*, *Decuria II. Anni IX.* in *Addend. ad Decur. II. Anni VIII.* extant â Noſtro *Parerga perfunctoria.* Ibidem *Anno X.* in *Append.* habetur *Pilæ marinæ Anatome botanologica.* Ibidem *Decur. III. Anni I.* repperitur Obſervatio 121. *de Spongite Lapide*: & *Anno II. Appendic. p.* 23. occurrit *De comedente Cibus*: *Devaſtatio militaris exitioſa divinitùs compenſata meſſe*, *ſine ſatura*, *miraculoſa.*

III. In eodem *Opere*, ad Annum 1689. repperiri â *Noſtro* alia duo meletemata monet *Gundlingius* in *Hiſtorie der Gelehrtheit*, *p.* 3208. nimirum 1. *Vindiciæ Aſtrologiæ.* 2. *Memoria Jo. Mich. Fehrii* Medici & *Præſidis* Collegii dictæ *Academicæ.*

IV. Vulgavit linguâ vernaculâ Libellum, quem nec videre mihi, nec legere apud ullum Scriptorum licuit: et quem *Velſchius* in laudata *Epiſtola* vocat *Betheſdam* (Bethſaidam) *Reghemienſem*, cohortans *Noſtrum*: Ex Germanico Latinum faceret; ut merita ejus latiùs diffunderentur. Quamvis autem hoc effecturum, in ſe receperit *Noſter*: uti etiam *Obſervationum* ſuarum *Decades*, *curioſiſſimas profecto et eruditiſſimas*; *Velſchióque et omnibus Doctis ingenti deſiderio exſpectatas* daturum ſe promiſerit, neſcio tamen, an horum quidquam præſtiterit.

Ut

Digitized by Google

Ut erat non medicinæ tantum; ſed et *Rei antiquariæ* ſtudioſus; ita cum *Athanaſio Kirchero*, & *Carolo Patino*, Viris doctiſſimis, commercium habuit litterarium. Et *Patini* quidem, cui *Strychnomaniam* ſuam miſerat *Noſter*, Epiſtolam reciprocam exhibet *J. G. Schelhornius Amœnit. litter. T. X. p.* 1254. in qua, *Vir optimus, Amicorum decus* abs *Patino* audit *Noſter:* in qua multa litteraria occurrunt, ob id ipſum dignâ, quam legas, Lector! ſi, quâ *Noſter* indole atque doctrinâ fuit, accuratius diſcere cupis.

GEIGER (*Daniel*) *Auguſtanus*, quem *Malachias Geigerus*, electoralis Metropolis *Monachienſis* nec non electoralium Noſocomiorum ibidem Medicus et Chirurgus, *Noſtri* ex fratre nepos, in *Microcoſmo hypochondriaco, p.* 105. ampliſſimis verbis, nec tamen ultra dignitatem, publice dilaudavit ſequentibus: *Artium, Philoſophiæ, Medicinæ et Chirurgiæ Doctor, SSmi Palatini ac Procerum regni Hungariæ Proto-Medicus: Vir magnæ doctrinæ & fortunæ, praxeos feliciſſimæ, rarioribusque ingenii & judicii dotibus excellens, cujus medendi artem antehac* Auguſtana *civitas experta eſt: jam vero* (1652.) Poſonium *adorat.*

Daniel noſter, teſte *Lipenio* in *Biblioth. medic.* typis vulgavit:

I. *Reſponſum medicum defenſorium, ad Jo. Helwigii Prodromum ſpeudapologeticum ſuper Judicio medico, de Morbo Cardinalis Wartembergici.* in 4. *Auguſtæ.* 1662. Confer *Alb. de Haller Biblioth. Medic. practic. T. III. p.* 130. ubi adduntur ſequentia Germanicè:

II. *Eben deſſelben Leben. Regenſpurg.* 1664. in 4.

GREMBS

GREMBS (*Franciſcus Oſwaldus*) gente *Bavarus*, ſed albo Collegii medici *Auguſtani* inſcriptus, Archiater *Friſingenſis* prænobilis, *cujus famam* editus Tractatus:

Arbor integra & ruinoſa Hominis, i. e. Tractatus medicus theoretico-practicus, in III. Libros diviſus; in quo ſana et morboſa Hominis natura ex archœis, ſeu ſpiritibus innatis, tanquam ſuis radicibus proveniens dilucide demonſtratur: ac ſimul de rerum principiis ſeu elementis; meteoris; lapidibus; mineralibus; vetegabilibus; animalibus; de uſu, & defectibus partium humani corporis; de anima; de febribus; peſte; venenis; vita longa, & brevi; et tandem de remediis Paracelſicis, juxta conſenſum et diſſenſum Hippocratis, Galeni et Helmontii, cum Exegeſi remediorum Galenicorum et Chymicorum, Hiſtoriarumque medicarum breviter & accurate diſſeritur. in 4. *Francofurti, apud Jo. Georg. Spörlinum.* 1657. *Ibidem, apud Richard. Stockium.* in 4. 1671.

ſine ruina celebrem & integram ab oblivione conſervat.

Hæc *Schröckius in Hygeia Auguſt. p.* 111. Adde *Mangetum* in *Biblioth. Script. Medic.*

Ego vidi in *Bibliotheca San-Udalricana* aliam editionem, annô 1657. *Monachii.* in 4. Formis *Lucæ Straub* excuſam, ex cujus titulo patet: *Noſtrum* Guidobaldo Archiepiſcopo Salisburgenſi *à Conſiliis & Medicum ibidem ordinarium* fuiſſe. Dicavit hunc ingenii ſui fœtum *Ferdinando Mariæ*, utriusque *Bavariæ* Duci &c. ſequentibus verbis, quæ referre volui, ut quis *Noſtro* ſcopus, quod *libri* argumentum ſit, intelligat Lector:

ARBO-

ARBOREM *hanc . . . Serenitati tuæ ut humillime offerrem, innumeri me tituli devinxerunt, è quibus jure merito primum locum tenet Majorum meorum* Mermanni *Avi, ipsiusque* patris mei, *qui ambo ultra octoginta annos glorioſiſſimis Progenitoribus Serenitatis Tuæ omnem in re medica operam, induſtriamque præſtiterunt, in me cum ſanguine derivata ſervitus; ut, quorum memoria apud Sereniſſimam domum Tuam ſepulta nondum eſt, per hoc qualecunque mei obſequii ſpecimen eo magis revireſceret. Cæterum ardue hactenus in medica arte inter Galeniſtas & Chymiſtas diſputatum eſt, utra pars veriora Medicinæ fundamenta, praxique magis conformia poſſideat, dum illi ſtricte nimis in verba* Galeni *jurant: hi nimis pertinaciter* Paracelſi *doctrinam defendunt? Utrinque tamen erratum putat* Helmontius, *ex cujus mente tametſi* Paracelſus, *Monarcha arcanorum, habeatur; theoriæ forſan dono caruit.* Galeni *è contra Aſſeclæ, ſi eorum practicam attendamus, potius experientiis confidunt, quam veram methodum profitentur; quo evenit, ut Ars medica manca ſemper fuerit, nemine ſcilicet invento, qui veram theoriam ſuper remediis chymicis fundaret, donec* Helmontius, *ſtupendum ingenii miraculum, animo plane terreſtrium ſpeculatione haud contento, miraque intellectûs ſublimitate, corporis ſe propemodum vinculis eximeret, idque ipſum indagare auderet, quod tactu, viſu & auditu aſſequi non licebat, idea ſibi proinde efformatâ, qua abſtruſarum rerum naturalium cauſſam intueretur: exindeque per inaudita nomina & allegoricos ſenſus, effectus ex cauſſis, cauſas ex effectibus deducendo Artem medicam, ſcientiam, faceret. Hujus ego Viri amore ductus, cum dudum mihi animus eſſet prædictorum meorum parentum*

tum rapſodia & manuſcripta in ordinem digerere, publicæque luci in ſolamen morborum tradere; placuit eadem Helmontianæ *doctrinæ applicare. Nec deterruit a propoſito temere judicantium aſſertio:* Helmontium ſcripſiſſe, quæ nec ipſe intellexerit; *quippe major hoc ævo Momorum, quam in æſtate muſcarum numerus: nullaque Doctrina ea dote prædita eſt, quæ in abuſum malevolorum voluntate rapi nequeat. Equidem non tam facile aliorum Judiciorum rumori aſſentio; cum prius legere, quam deſpicere oporteat, nihilque ſit, quod ſordidum hominem plus caligini implicet, quam ſi ex aliorum judicio judicet. Si non imperandum, ſaltem nec ſerviendum eſt, liberrimis judicii muneribus. Eſto, ſint* Helmontii *Scripta ſpinoſa, obſcura, quid inde? Studio hoc fecit Auctor, ut eo magis Medicinæ ſcientia eluceret. Fertur* Alexander *conqueſtus eſſe, quod* Ariſtoteles *libros Auſcultatorios ediderit,* qua re (*inquiens*) tandem excellemus? ſi diſciplinæ, quibus eruditi ſumus, communes fiant omnibus: *cui* Ariſtoteles, ſcito! *reſpondit,* ipſos editos & non editos eſſe; cognoſci enim ab iis poterunt, qui nos audierunt. *Ideo non mirum videri debet Serenitati Tuæ, ſi* ARBORIS *hujus fructuum cortex rudis ſit; Latet partus margaritæ pulcherrimus, ingenio vacillantibus durus,* Helmontianæ *doctrinæ filiis fractu facilis, reliquis ſecundum exteriorem faciem judicantibus inanis &c.*

Præmittuntur *Jo. Georg. à Glantz* Philoſ. & Medic. Doctoris, Ferdinandi III. Imperatoris Conſiliarii & Perſonæ Medici, ejusdemque Palatii Comitis, ac regni Bohemiæ Phyſici: *Joannis Jacobi Maphæi*, Archiatri Ducum Bavariæ: *Nicolai Franchimontii*, Profeſſoris Pragenſis Epiſtolæ,

quibus *Noſtrum* ad edendum hoc Opus cohortati ſunt. Sequuntur Carmina *Ferdinandi Grembs* SS. Theolog. Doct. & Canon. Friſingenſis, fratris germani: & *Petri à Magier* Philoſ. ac Medic. Doctoris, Comitis Palat. Cæſar. atque Illuſtr. Statuum Auſtriæ Phyſici.

Confer *Alb. de Haller Biblioth. Medic. pract. T. III. p.* 58. qui *Opus* laudat.

BANZERUS (*Marcus*) primam vitalem auram hauſit anno 1592. ad diem 28. Decembris, *Auguſtæ* patre *Georgio* aurifabro & gemmario, matre *Regina Roſera* progenitus. Poſitis in ſchola patria linguarum *Græcæ* ac *Latinæ* rudimentis, *Aldorfium* profectus, philoſophicis ibi ſtudiis pleniùs vacavit. Verùm cum ars jatrica præ aliis cunctis ei arrideret, illius addiſcendæ gratia *Argentoratum* petiit, auditisque præſtantiſſimis Medicinæ Doctoribus, multa laude refertus, *Baſileam* venit. Poſthæc in *Gallias* ſe conferens *Montepeſſulo* ſtudia ſua proſecutus eſt: unde *Baſileam* repetiens Doctoris medici laureâ, anno 1616. die 20. Auguſti, redimiri ſe fecit. In *Italiam* quoque excurſione facta, nominatim *Patavii* ſubſtitit; ex quo Athenæo in patriam revectus, annoque 1619. albo *Collegii medici* inſcriptus medicinam exercuit, usque in annum 1629. quô cum Religio avita reſtitui cœpiſſet, ipſe penatibus ſuis valedicens in Saxoniam perrexit. In iſta regione primùm *Oſſatiæ* per ſeptennii ſpatium Polyatri vices obivit, ſatis infeliciter ob tumultus bellicos, militum rapinas, et contagioſæ luis ſævitiem vivens: Inde *Camitium* ſuperioris *Luſatiæ* oppidum petente civitate, easdem partes functurus, venit.

Vix

Vix autem illò appulit, cùm honorificentiſſima rurſus vocatio aliò eum anno 1638. migrare juſſit, poſtulante *Joanne Georgio I.* Saxonum Duce, ut in Academia *Wittebergenſi* (non *Lipſienſi*, ùt male habet *Freherus*) publicum Medicinæ Profeſſoris munus ſuſciperet. Suſcepit, et per annos 26. maxima cum laude ac diſcentium fructu plurimo adminiſtravit. Faſces academicos *quinquies*, *Decanatum* Facultatis *medicæ* pluries geſſit.

Laudes *Noſtri* brevibus, ſed aptiſſimis verbis expreſſit *Luc. Schröckius*, in *Hygeia Auguſt. p.* 109. vocans eundem *communem Germaniæ Præceptorem; Danielis Sennerti per 26. annos ſucceſſorem; & Facultatis medicæ in Academia Wittebergenſi poſtea Seniorem; Libri*: Fabrica Receptarum, *inſcripti Auctorem*; *quem ut mortuorum* (fors, morborum) *artificem, qui ſcientiam, uſum, & medendi felicitatem abunde tenuerat, honorificum admodùm Rectoris magnifici, ibi poſt obitum publicatum, Programma commendavit.*

Uxores *Noſter* habuit duas. *Primam*, Annam Mariam, *Jacobi Baſſæi* Mercatoris apud Auguſtanos primarii, filiam anno 1619. ad diem 5. Aprilis connubio ſibi ſociavit. *Secundam*, Sibyllam Richteram, *Lucæ Cranachii* Hæreditarii in Wachsdorf viduam, anno 1647. duxit.

Epitaphium abs altera uxorum *Noſtro* poſitum habes apud *Freherum* in *Theatro Erudit. p.* 1398. ex quo *Vitam* hanc fere omnem excerpere placuit. Ipſius ſunt, quæ ſequuntur:

I. *Aſſertiones ex univerſa Medicina*, in 4. *Baſileæ*. 1616. haud dubie emiſſæ à *Noſtro*, dum in ea *Univerſitate* titulum Doctoris ſumpſit. V. *Alb. de Haller L. c.*

II. *Fabrica Receptarum, i. e. Methodus brevis, perſpicua, ac facilis, in qua, quæ ſint remediorum Formæ compoſitorum: quæ earundem Differentiæ: quæ componendi et præſcribendi Ratio: quæ denique Utilitas, atque quis utendi Modus, planiſſime edocetur.* in 8. *Auguſtæ Vindel. Apud Andream Apperger.* 1622. Vide *Mangeti Biblioth. Script. Medic. Keſtneri Biblioth. med. p.* 665. diſerte monentis: *Hoc Opus* CONRINGII *ipſius*, & SCHELHAMERI *laudem meruiſſe.*

III. *Controverſiarum medico-miſcellanearum Decades.* Harum *Decas III.* reſpondente *Jac. Mochingero.* in 4. *Wittebergæ.* 1649. *Decas IV.* reſpondente *Samuele Sturmio.* 1650. *Decas V.* reſpondente *Jacobo Martini. Decas VI.* reſpondente *Jo. Dan. Maiore.* 1657. prodiit, teſte *Mart. Lipenio* in *Biblioth. medic.*

IV. *Diſſertatio de Auditione læſa.* Tribuit *Noſtro* JOECHERUS in *Gelehrten-Lexicon.*

V. *Programma in funere Jo. Strauchii J. V. Doctoris, Profeſſoris Decretalium Wittebergæ.* Extat in *Wittenii Memoriis ICtorum. p.* 212.

LUTZ (*Ludov. Henric.*) Philoſophiæ & Medicinæ (ut ſemet vocat) Studioſus, quem *Auguſtæ* circa annum 1670. floruiſſe, tradit *Jöchern* in *Gelehrten-Lexicon*, edidit:

I. *Ophiographia phyſico-chymico-medica: Schlangen-Beſchreibung*, quam ex præſtantium Medicorum Scriptis & propriis experimentis congeſſiſſe ſe monet.

II. *Chieroſophia concentrata.* in 12. *Norimbergæ.* 1672. V. *Lipenii Biblioth. philoſoph. p.* 277.

III.

Digitized by Google

III. *Chiroſcopia contracta.* in 12. *Norimbergæ. Apud Hofmannum.* 1685. Tribuit *Noſtro* hoc meletema *Theophil. Georgi* in *Europæiſchen Bücher-Lexicon.* Utrum illud à præcedenti diverſum ſit, an tantummodo ejusdem editio nova, dicere non habeo; cum neutrum videre mihi licuerit.

MARIUS (*Joannes*) cujus extat Opus, ſequenti titulo:

Caſtorologia explicans Caſtoris animalis naturam & uſum medico-chymicum, antehac à Joanne MARIO *labori inſolito ſubjecta, jam vero ejusdem Auctoris & aliorum Medicorum obſervationibus luculentis ineditis, affectibus omiſſis, & propria experientia, parili labore aucta à Joanne* FRANCO. in 8. *Auguſtæ Vindel.* 1685. *c. figuris.*

Editor *Jo. Francus* de ſatis præſentis Libelli, itemque Auctoris, in *Præfatione* hæc connotata reliquit: *Quadraginta & quod excurrit annos verſabatur hic* Caſtor *in periculo oblivioſæ noctis, blattarumque corroſionis: & procul dubio adhuc hæſiſſet, niſi ego eum liberaſſem. . . . Ut igitur ſcias, Lector! ex quo domicilio primum exierit, & ubi tam diu latuerit, paucis dicam verbis.*

Joannes MARIUS *ejus Auctor fuit, oriundus ex oppido Wirtembergico* Boll, *à balneo ſalutari valde celebrato. Is, adoleſcens factus, fideliſſimum habuit præceptorem D. Joannem* Schultetum, *qui principem locum inter omnes fere Medicos et Chirurgos tunc temporis tenuit: cujus Amanuenſis erat; & ita diligentia ſua et facilitate ingenii adeo profecit, ut ſumma cum laude* Doctor *creatus fuerit. Primis poſt promotionem annis iterum* Ulmæ *praxin medicam profeſſus, et in Collegium Ulmenſe*

Medicorum eo tempore (poſt Auguſtanum) florentiſſimum adſcitus fuit. Ob mortem vero celeberrimorum nonnullorum Virorum Ulmenſi valedixit, & Auguſtam ſe contulit: ubi brevi poſt ἄκαιρ. uxoratus quidem, vitam cum morte mutavit. In praxi, teſtibus adhuc multis civibus & MSSto. ejusdem a) feliciſſimus fuit. Aſt nihil (quod ſcio) edidit. Præſentes de Caſtore *paragraphi, antequam ego vitali hac aura cæpiſſem frui, neſcio quo fato ... in manus Cl. V.* Joannis Maieri, *Præceptoris olim mei in humanioribus fideliſſimi devenerunt, ex quibus propriè cum aliis mei facti ſunt. Hos igitur curâ meâ legendos tibi! mi Lector! ſubjicio...*

Confer *Alb. de Haller Bibliothecam* ſæpiſſime laudatam, ubi is monet, idem Opuſculum *Gallicè* recuſum eſſe in 12. *Pariſiis* anno 1746. ex Verſione *D.* EIDOUS: ſuumque de illo judicium proponit, quod non tam *Marium* auctorem, quam *Francum* editorem ferire videtur.

a) Huic Titulum fecit: *Jo. Marii Phyſici Ulmenſis Praxis*, quâ ipſâ *Jo.* FRANCUS, in *Caſtorologia* MARII augenda, uſum ſe eſſe, profitetur.

HAINZMANN (*Jo. Chriſtoph.*) Medicinæ Doctor, Collegii medici Auguſtani Aſſeſſor *Poeſeos Germanicæ* amans, vulgavit:

Die himmliſche Nachtigall, ſingend gottſelige Begierden der büſſenden, heiligen, und verliebten Seele, nach den drey Wegen der Reinigung, Erleuchtung, und Vereinigung mit Gott in hochdeutſcher Sprach verfaßt, auch mit neuen Kupferſtichen und anmuthigen Sing-Weiſen geziert durch &c. Editio correctior. Auguſtæ, typis Mariæ Magdalenæ Uzſchneiderin. 1690. Sunt *Hermanni* HUGONIS

pia

pia Deſideria &c. rythmis germanicis expreſſa, & repetitis typis pluries procuſa.

ETNER (*Jo. Chriſtoph.*) teſtante *Jöchero a*) Medicus *Auguſtæ*, vixit exeunte ſæculo XVII. *S. Cæſareæ*, Regisque *Poloniæ* Majeſtatum *Conſiliarii* & *Archiatri* axiomate clarus. Scripſit ſub fictitio *Fidelis* ECKHARTI (*Der getreue Eckhart*) nomine *b*) linguâ vernaculâ

I. Opus in *ſex* partes diſtributum ſub titulo generali: *Mamacuthus medicus*; germanice, *Der mediciniſche Maul-Aff*, cujus

Pars prima eſt: *Seplaſiarius delarvatus. Der entlarvte Marckt-Schreyer.* in 8.

Pars ſecunda: *Medicus indignus. Der unwürdige Doctor*; cui acceſſit: *Medicus probus. Der rechtſchaffene Doctor.* in 8.

Pars tertia: *Chirurgus temerarius. Der verwegene Chirurgus.* in 8.

Pars quarta: *Chymicus profugus. Der entlaufene Chymicus.* in 8.

Pars quinta: *Pharmacopola non-conſcientioſus. Der ungewiſſenhafte Apothecker.* in 8.

Pars ſexta: *Obſtetrix improvida. Die unvorſichtige Hebamme.* in 8.

Vide Præfationem *Noſtri* ad *Pharmacopolam non-conſcientioſum*: & *Theoph. Georgi europæiſches Bücher-Lexicon*, ubi variæ horum Tractatuum editiones *Auguſtanæ*, *Lignicenſes* ac *Lipſienſes* recenſentur. Ceterum MANGETUS in *Biblioth. Scriptor. Medic.* v. *Eckartus* (*Fidelis*) ſequentem cenſuram

a) In *Gelehrten-Lexicon.*

b) V. Præfationem *Noſtri* ad ſuum *Chymicum profugum.*

Digitized by Google

ſuram ex GOELICKE *Hiſtor. chirurg.* affert: *Negari certe non poteſt, multas egregias chymicas, medicas, atque chirurgicas Obſervationes in dicto Libro repperiri. Has vero ex talium ſcriptorum genere eruere velle, admodum tædioſum eſſe mihi videtur; etſi utique modus proponendi delectet, & animum ſeriis feſſum ad lectionem denuo invitet &c. &c.*

II. *Speculum Avaritiæ hiſtoricum, hiſtoriſcher Geiz-Spiegel.* in 8. 1717. Tribuit citatus *Georgi, T. II. p.* 5.

III. *Deſcriptio Acidularum Egrenſium, gründliche Beſchreibung des Egeriſchen Sauerbrunnen.* in 8. *Nürnberg.* 1710. Tribuit *idem l. c. p.* 36.

Præterea à *Noſtro* extant idiomate latino conſcripta:

IV. *Manes Poteriani, i. e. Petri Poterii Inventa chymica anxie hactenus deſiderata, ſecundum mentem Auctoris elaborata, ex Auctoris excellentiſſimi textu combinata, exhibente editione Francofurtenſi* Wilh. Rich. Stockii, *anni* 1666. *adjunctis Enchiriſibus accuratiſſimis* Jo. Chriſt. Etner. *Francofurti & Lipſiæ, apud Hæred. Mich. Rolachii.* in 4. V. *Mangetum l. c.* v. POTERIUS (*Petrus*).

V. *Epiſtola de Eſſentia Salis armoniaci martialis.* Vide *Jöchern l. c.*

Noſtri mentionem etiam facit *Alb. de Haller* in *Biblioth. Medic. practic.* ubi eum, *Chriſtophorum* ETTNER, *denique ab* ETTNER, nominat, edidiſſéque inſuper affirmat:

VI. *Diſputationem de Podagra.* in 4. *Vratislaviæ.* 1693.

VII. *Satyrica varia;* quin ultra quid, vel locum vel annum impreſſionis, addat.

In

In ſuperiùs memorata *Præfatione* ad *Pharmacopolam non-conſcientioſum* promiſit *Noſter*, alios Libellos ſe editurum; Sunt hi

1. *Ekron infernalis*: *Hölliſcher Ekron.*
2. *Hiob philoſophicus*: *Philoſophiſcher Hiob.*
3. *Metallarius*: *Bergmann.*
4. *Extractus ſufficiens Medicinæ*: *Sattſamer Extract der Artzney-Kunſt.*

Sed horum quidquam prodiviſſe foras, nullibi inveni.

DURR (*Georg. Tobias*) *Auguſtanus*, præclari nominis Medicus, *Vir multæ praxeos*, qui anno 1659. in Univerſitate *Anglipolitana* doctoralem ſcientiæ jatricæ lauream cepit *a*). Fuit is, *S. R. I. Nobilis*; SSmorum *Joannis Wilhelmi* Electoris *Palatini*, ac *Maximiliani Philippi* Ducis *Bavariæ*, *Conſiliarius* & *Archiater*; *Collegii* medici *Auguſtani Vicarius*, anno 1678. deſignatus; Officinarum pharmaceuticarum *Viſitator*; denique *Academiæ* cæſareæ *Curioſorum Naturæ* (ſub agnomine *Democrates*) Membrum *b*).

Habentur abs *Noſtro* in *Miſcellaneis* dictæ *Academiæ*, *Decad. II. Anno VII.* ſequentes Obſervationes. *Tympanites & virtus Conſervæ ſpagyricæ. Aſcites in muliere ſeptuagenaria. Anaſarca. De Teneſmo. De Calculo ſine lithotomo è veſica prodeunte. De Ictero nigro cum ſcabie ſicca. De Ann. occluſo c*).

a) V. *Mederer Annales* dictæ *Academiæ T. II. p.* 350.

b) V. *Schröckium l. c. p.* 106. & *Mangetum* in *Biblioth. Script. Medic.*

c) Sic *Mangetus l. c.* haud dubie per errorem typi.

Digitized by Google

Ibidem *Anno VIII.* Obſervationes *Noſtri* hæ extant. *De Conditura cadaveris et ſubſequente Mania. De Sphacelo capitis cum paralyſi artuum univerſali.*

Ibidem *Anno IX.* habentur Obſervationes tres. *De Empyemate periculoſiſſimo, pleuritidi ſuccedente, curato. Ex hæmoptyſi Phthiſis curata. De Ulcere veſicæ, amore Proximi, per ſuctionem maxime curato.*

Ibidem *Anno X.* reperies. *De Foecunditate in ſenio. De Dyſenteriæ periculoſiſſimæ ſuperveniente Fluxu hepatico. De Sudore ſanguineo in juvene.*

Ibidem *Decad. III. Anno I.* habes. *De Melancholia cum taciturnitate ultra medium annum. De Morte ſubitanea in volucribus Canarienſibus, ex eſu amygdalorum amarorum.*

Ibidem *Anno III.* occurrunt Obſervationes *De Calculo in pectoris cavitate reperto. De Convulſione circumrotatoria.*

Ibidem *Anno V. & VI.* invenitur. *De Febre continua maligna verminoſa.*

Ibidem *Anno VII. & VIII.* leges. *De Hydrophobia felina ultra annum occultata. De Menſibus quarto ætatis anno fluentibus. De Vermibus umbilicalibus.*

Ibidem *Anno IX. & X.* invenies. *De Morbo caduco curato. De Vermiculis cum urina cruenta putrida excretis.*

In Eccleſiæ cathedralis cœmeterio tecto humatus accepit ſequens

Epitaphium

Prænobilis, Strenui et Excellentiſs. Domini
Georgii Tobiæ de Dürr
Medicinæ Doctoris.

Revi-

Reverend. et Seren. Principis et Episcopi Aug.
Consiliarii et Archiatri,
nec non Reipublicæ Augusti. Physici Primarii,
et Collegii Medici Vicarii perpetui:
Lector benevole!
Sic te appello. Pello, si talis non es.
Non fame famæ, aut inanis gloriæ,
sed puræ veritatis causa typis tibi loquor.
Vixit hic Augustæ Vir ille integerrimus,
tenerrimæ conscientiæ, raræ scientiæ,
in arte hygæa plusquam Jubilæus,
Magnorum Principum Archiater,
Reipublicæ Augustanæ Poliater,
ægrotorum, divitum pauperumque, Pater,
tanta fama suæ gloriæ:
Ut ab Augusti. et Invict. Imperatore Leopoldo
ob insignia in aula cæsarea comparata merita
illustri Nobilium Imperii Ordini insertus
Diplomate coruscaret Cæsareo.
Ille post diuturnos ex Vesicæ calculo
hoste clandestino, tandemque internecino,
animo christiano et patientia inexpugnabili
exantlatos acerbissimos dolores et mille angores
omnibus Ecclesiæ orthodoxæ Sacramentis munitus
inter ardentissima ingeminata suspiria
cum Paulo petiit dissolvi, et esse cum Christo,
in quo etiam piissime obiit 3. 7bris. A. 1712.
Ætatis suæ Anno 70.
Fama cane! Livor sile!
tuque, Lector benevole!
æternam illi precare requiem.

RIED-

Digitized by Google

RIEDLINUS (*Vitus*) cujus celebratiſſimi Medici Vitam & Scripta expoſui in *Alphabeto V. Bibliothecæ* præſentis, *p.* 171. ubi vide, et *pag.* 182. *lin.* 10. poſt verba: *Script. Medicor. T. IV.* adde ſequentia:

Conſulendus quoque eſt *Alb. de Haller* in *Biblioth. Medic. practic. T. III. p.* 489. ubi is ſuum de *Noſtri* Scriptis judicium proponit, eidemque inſuper adſcribit:

XIII. *Meletema de Aqua minerali.* 1681.

XIV. *Anmerckungen zur ſorgfältigen Auferziehung der Kinder. Nürnberg.* 1688. in 8.

XV. *Patavinarum Obſervationum medicarum Centuriæ tres.* in 12. *Auguſtæ.* 1691. quas, Opus aliud atque diverſum ab *Obſervationum medicarum Centuriis duabus*, anno 1682. et 1721. procuſis, eſſe exiſtimo.

Præterea obſerves velim *Diſputationem inauguralem de Loquelæ Symptomatibus, Argentinæ.* in 4. 1652. typis vulgatam, cujus idem HALLERUS meminit, non *Noſtri* eſſe; ſed enim patris, *Riedlini* ſenioris.

VERBEZIUS (*David*) de quo in *Alphabeto VI.* hujus *Bibliothecæ*, *p.* 118. paucis memini, quibus ſequentia ex *Jo. Weich. Valvaſore a)* addes:

„ Labaco oriundus, ubi frater ejus Conſulatum „ geſſit, Doctor Medicinæ, ob Lutheri doctrinam, „ quam amplexus fuerat, e patria profugus mul„ ta ſcripſit, inter quæ lucem viderunt. *I.* Di„ ſputatio de Temperamentis &c. Campoduni. „ 1598.

a) In Libro: *Ehre des Herzogthums Crain, L. VI. p.* 351.

Digitized by Google

„ 1598. *II.* Reſponſio ad Dodecaporii Chalcantini Petri Caſtelli, Philoſophi et Medici Romani, partem priorem, pro Raymundi Mindereri Medici olim Auguſtani Diſquiſitione jatrochymica de Chalcanto. Qua ſimul Aetii Cleti Signini Medici Diſputatio de Chalcanto: in Raym. Mindererum examinatur. Proſtat Auguſtæ Vindelicorum apud Sebaſt. Mylium 1626. „ *III.* Tractatus de Peſte. Campoduni. 1617. „ *IV.* Exercitationum medicarum ſuper Diſpoſitione quadam de Peſte Liber unus in 4. Campoduni. 1618. *V.* Exercitationum de Peſte Libri duo. Campoduni. in 4. 1619. *VI.* Homo non Homo, ſive Monſtrum Tübingenſe ob virulentiſſimam, quam ſpiravit, auram legitime diſſectum et eviſceratum. in 4. Campoduni. 1618. „ *VII.* Diſquiſitio jatrochymica de Chalcanto, Argentorati. 1633. *VIII.* Libri duo de Logica. „ *IX.* Varia alia Opuſcula, et permultæ Diſputationes.

„ De eruditione *Noſtri*, præter *Opera* mox indicata, teſtatur quoque *Carmen* adjectum Effigiei ejus, a *Luca Kiliano*, anno 1615. ſculptæ:

„ Verbezj frons hæc, unam trieterida poſtquam
„ Egerat et ſeptem Lucis Olympiadas.
„ Cætera quære intus. Teſtatur Hygëia, Fati
„ Quæ novit telis amplificare moras.
„ Das olim Latiis, Epidaure! Aſclepion oris:
„ Dexter ita Ulmanis Carnus alumnus adeſt.“

Hactenus VALVASOR — Cæterum *Verbezius* Praxin ſuam, dum *Ulmæ* fuit, in Scriptum redegit ſub titulo: *Curationes Ulmanæ*, quibus *Jo. Francus* in augenda *Caſtorologia Jo.* MARII uſus eſt.

ROTH-

ROTHMAHLER (*Ludovicus*) quem *Augustæ* subſtitiſſe affirmat *Jöchern* in *Gelehrten-Lexicon.* Vixit circa annum 1677. ediditque *Libellum chymicum de Particulari et Univerſali* teſte *Placcio*, in *Theatro Anonymor. N.* 1014.

WELSCHIUS (*Georgius Hieronymus*) *Medicus*, *Polyhiſtor*, *Philoſophus*, *Polygraphus*, inter ſuæ ætatis doctrinâ Principes meritò numerandus, & idcirco nulla ratione ſilendus, *Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ*, quas vides, Lector! pagellas has ſuo ſibi jure vendicat.

Fecit is Orbi litterato *a*) ſpem, ſuam ſe *Vitam* conſcripturum eſſe; ſed cum, quæ in eum finem chartæ pauciſſimis mandaverat, fatô præventus abſolvere non potuiſſet, *Lucas Schroeckius junior*, ob cauſſas ſuperius *pag.* 73. allatas ſuccedaneum ſe faciens, Res *Noſtri* accuratô ſtylô perſcribendas ſuſcepit *b*): cujus proin non ſolum teſtimoniis, ſed verbis quoque uti maxime placet, ita tamen, ut quæ poſt *Schroeckium* â me obſervata ſunt, accurate adjecturus ſim.

Dedit *Noſtrum* mundo *Auguſta Vindelicorum*, fœcunda ſemper magnorum Virorum, et Medicorum præcellentium Mater *c*): compluribus aliarum quoque laudum titulis caput multas inter

Ger-

a) In *Specimine Theſauri Experientiæ medicæ.*

b) In *Memoria Welſchiana* â ſe edita; ubi *Noſtrum*, quod, in Collegium *Curioſorum Naturæ* adlectus, *Neſtoris* agnomen acceperat, *Neſtori* illi *Homerico* per *Vitæ* circumſtantias aptiſſime comparat. Sed hæc ego, utpote panegyrico potius, quam hiſtorico ſtylo convenientia refecans, ipſas duntaxat res ſectandas mihi duxi.

c) Evidentiſſime hoc *Bibliotheca Auguſtana* omnis docet.

Digitized by Google

Germaniæ urbes attollere ſueta. Pater *Noſtro* fuit *Caſparus Velſchius*, qui in tempora inquieta, ac publicis calamitatibus univerſæ *Germaniæ* funeſtis obnoxia, incidens privatam vivere vitam elegit, artemque pharmaceuticam tanto omnium applauſu exercuit, ut Principes etiam et ſummo genere nati ipſum amaverint, muneribusque non exiguis & aureis quandoque numismatis, ſuam teſtaturi gratiam, condonarint: nec facile quisquam, arti huic addictus, in ſacro Romano Imperio extiterit, qui non amicitiam ejus coleret, aut ambiret. Quo in pretio apud *Auguſtanos* Medicos fuerit, ipſi in *Pharmacopeia* ſua, *Prolegom. cap.* 2. teſtati ſunt, dum Granatos Bohemicos modernos ipſis Orientalibus longe præſtantiores eſſe judicantes, ſequentia addunt: *Orientales vi fortioris ignis liqueſcere, et in maſſam inſtar vitri alicujus fuſilis et colorati coagulari: Bohemicos vero ignem fortiſſimum ſuſtinere, et in eo neque colorem, neque pondus mutare, neque etiam diffluere; ſed ſolidos ex ipſis flammis emergere, obſervavit et expertus eſt Vir præſtantiſſimus et artis pharmaceuticæ peritiſſimus* D. Caſparus Velſchius *Reipubl. noſtræ Pharmacopœus primarius, qui reviſioni noſtri* Diſpenſatorii, *in rebus profeſſionem ſuam concernentibus, operam laudabilem præſtitit.* Hujus familia ampla et honoratiſſima, in urbe imprimis Imperiali *Nerolinga*, multis jam annis fuit famigeratiſſima. Pater, *Hieronymus*: et Avus, *Balthaſar*, Arci *Lirhemio* præfecti, ſummos deinde in urbe illa Magiſtratus geſſêre. Patrui etiam et Patrueles (quos inter *Hieronymus* inprimis, familiæ decus, edito *Itinerario* celebris eſt) Rei ſaltuariæ et bellicæ Præfecti, in *Patriâ*, et *Rotemburgi ad Tubarim*;

Cæte-

Cæteri Mercaturæ in *Norico* et *Wirtembergico* agro dediti: Quidam etiam bellum ſecuti: Alii ad Litterarum ſtudia accedentes ſummis honorum gradibûs inſigniti: Alii Aulæ officiis admoti apud Principes, Quæſtores redituum vini et ærarii principalis, deſignati fuerunt.

Mater *Euphroſina Sighartin* extitit, pharmacopæi itidem *Auguſtani* laudatiſſimi filia, matrona virtutibus quibusvis ſexui ſuo convenientibus ad invidiam usque cumulata: quibus genus ſuum in civitate *Auguſtana* â plurimis retro annis notum ac honoratum: ob egregiam etiam olim ab Atavorum aliquo præſtitam in bello fidem atque fortitudinem Cæſarea gratia nobilitatum: præclarisque Inſignibus (Gryphis pes erat lauream coronam tenens) donatum, ceu novo ſplendore illuſtravit.

His parentibus *) anno 1624. ad diem 28. Octobris natus *Noſter* ſedula educatione ad ſecuturam magnitudinem ſtudioſe præparabatur. Neque occultari diu præſtantis ingenii ſcintillæ poterant; quin, unà cum ſingulari memoriæ felicitate, in tenero adhuc puero cito emicarent, quas in flammam creſcere ùt parentes optabant unice, ita nihil eorum ſibi intermittendum crediderunt; quod naturalem ad ſtudia propenſionem promovere in cara ſobole poſſet. Igitur fidelium præceptorum curæ traditus prima litterarum elemen-

*) Ipſe in *Epiſt.* ad *Octavian. Langenmantelium* ſcribit: *Multi inter exteros, nominis ſimilitudine qualicunque decepti, me ex Patricia Velſerorum familia oriundum putabant: quod cum ſæpius deprecando et pernegando amoliri conatus fuerim, obtinere tamen non potui, quin opinionibus ſuis perpetuo inſiſterent &c. &c.*

Digitized by Google

menta imbibere et libros ſedulo tractare, *Noſter* ſummæ ſibi voluptati duxit. In *Gymnaſio* autem *Annæano* primum ad Muſarum penetralia manuductorem *Joannem Fridericum* habuit: eô verò dimiſſô, ſcholisque publicis in turbulento tum patriæ ſtatu occluſis *Joanni Crophio*, *Pontano-Saxoni*, latinæ, græcæ, et hebraicæ linguæ doctiſſimo erudiendus eſt commiſſus. Ab his duobus trium iſtarum linguarum ſemina accepit; quos ob id ſuis *Velſchius* ipſe verbis poſterorum memoriæ commendare voluit, cum *Tullio* reputans, ingenui eſſe hominis profiteri, per quos quis profecerit.

Creſcente cum ætate judicio, altioribus rebus capeſſendis aptior, in *Collegium Annæanum* progreſſus eſt, in quo ſtudium Linguarum non minori cum profectu exercere perrexit, *Arabicam* etiam feliciter excolens ſub Ephoro *Petro Meuderlino d*) Philoſopho, Philologo, Poeta, Mathematico, et Theologo; â quo in cæteris quoque ſcientiis et artibus liberalibus inſtitutus fuit. Grammatiſticen ſive ſcribendi rationem et numerandi, Graphicen item, Muſicam, et Gymnaſticen, quibus vacare quoque voluit, partim debuit, ſufficit nominaſſe.

Sic bene inſtructus, a parentibus idoneus credebatur, qui in Academias cum ſummâ lætiſſimi incrementi ſpe ablegaretur. Hinc primùm in *Tubingenſe* Athenæum delatus Muſis ſacramentum dixit, conſuetis et longâ vetuſtate commendatis ritibus, quos *Depoſitionem* vocant, initiatus. Ibi Profeſſorum gratiam et amorem ambivit obtinuitque,

d) De *Meuderlino* brevibûs egi ſupra *pag.* 51.

que, publico ob id teſtimonio a *Joanne Pregizero* et *Joanne Geilfuſio* donatus.

Alterô poſt annô in *Argentoratenſem* Univerſitatem ſe conferens, triennium integrum apud *Joann. Conr. Danhauerum* Theologiæ Doctorem et Philoſophum manſit; cujus ſuaſu totum ſe Philoſophiæ ſtudio per unius anni ſpatium addixit; quô præcipue *Jo. Henr. Boecleri* ſtyli limatioris gratiâ: nec non *Jo. Groſſii* linguarum hebraicæ et ſyriacæ Profeſſoris, ac *Jo. Ferberi* linguæ græcæ Profeſſoris amicitiâ, favore, et privatîs ſæpe conſiliîs adjutus maximos progreſſus fecit.

His geſtis ad *Medicinæ* ſtudium tranſiit, inque eo, cum jam antea in arte pharmaceutica haud leves ſibi notitias comparaſſet, ac Philoſophiæ firmiora fundamenta jeciſſet, brevî ita profecit, ut *diſputando*, *Caſus ſolvendo*, *Recepta ſcribendo* plane eximius judicaretur: atque â Profeſſoribus et Studioſis univerſis pro ejusmodi Medicinæ Candidato haberetur, cujus tempora laurus jatrica propediem meritò eſſet cinctura.

Interim probe advertens *Velſchius* noſter, nihil futuro imprimis Medico aut neceſſarium magis, aut magis proficuum eſſe, quam, quod in patria invenire vix licet, apud vicinos exterosque populos perquirere, litterariis itineribus aliquid tribuendum eſſe ſapientiſſime judicavit, memor *Iſocratæi* illius præcepti: *Non pigeat, quantumvis magnum, iter ſuſcipere ad eos, qui profitentur ſe aliquid utile docere. Turpe enim eſſet, mercatores pauxilli lucri gratiâ tanta marium ſpatia tranare; adoleſcentes autem non terreſtre iter ingredi velle; ut mentem ſuam ornatiorem politioremque reddant.* Primum itaque iter *Monachium* verſûs, urbem ſe-

de

de *Electorali* celebrem, et tum temporis *S. C. Majestatis*, quæ a Conventu Imperiali cum pluribus Magnatibus eô sese contulerat, præsentiâ illustrem, instituit: ibique memorabilia omnia perlustravit, et (quod primarium est) cum Viris quibusdam doctissimis amicitiam iniit. Quâ ratione *Monachiô Tubingam*, dein *Argentoratum* devenerit, superiùs exposui: hôc autem locô additum velim, ejus occasione itineris et Ducatum *Wirtembergicum* sollicite à *Nostro* exploratum, et salubrium aquarum fontes, thermasque copiosè ibi scaturientes accurate spectatas fuisse.

Celebritate etiam haud adeo remotæ *Basileensis* Universitatis permotus, adire eam pariter constituit, bonisque avibus illic appulsus *Jo. Casp. Bauhini e)* Viri celebratissimi, *Emman. Stupani*, *Thom. Plateri*, aliorumque amicitiam sibi conciliauit. Sic scientiâ redditus instructior, *Argentoratum* redux, itineri *Italico* sese accinxit.

Istud anno 1645. autumnali tempore ingressus iterum *Basileam* venit; ubi singulari fortunæ beneficio fruens celeberrimum par fratrum, magnos *Bartholinos*, eorumque comites *Fuirenios* nobilissimos, ex *Italia* reduces, sibi amicos fecit. Certe apud hos tantam meritus gratiam fuit, ut ab immortalis famæ Viro *Thoma Bartholino*, atque ejus consobrino *Henrico Fuirenio* (cum a prælaudato *D. Bauhino*, publico consensu, doctoralis laurea utrique pridie Id. Oct. anni præmemorati

e) De *Bauhino*, aliisque doctissimis Viris tum nominatis hactenus, tum in contextu hujus narrationis adhuc nominandis plura dicere inutile foret; cum merita eorundem non, nisi ab Historiæ litterariæ penitus ignaro, ignorentur.

Digitized by Google

rati meritiſſimo jure fuiſſet impoſita) ad ſolenne convivium amice vocatus fuerit: et ad ſummi Viri *Jo. Rhodii* amicitiam primum aditum, ipſis parariis, impetraverit. Haud minus *Noſtro Jo. Hornium*, *Batavum*, Medicum et Anatomicum inter primos numerandum, alloqui datum fuit. Nec prætereundus eſt *D. Allers* Jurisconſultus *Bremenſis*, Vir, ſupra quam credi poteſt, civilis, doctus, humanus, et officioſus, quem hoc partim nomine *Welſchius* ipſe laudandum ſibi duxit, partim quia primò ad *Bartholinos* ab ipſo deductus fuerat.

Horum omnium docta converſatione et ipſe doctior factus, ingenii theſauros trans Alpes augendi ardore flagrans, iter ſemel ſuſceptum continuare properavit, *Tigurum* concedens, ubi tum *Conradi Geſneri* illius inclytiſſimi, tum civicam Bibliothecam, *Joan. Henr. Hottingero* monſtrante vidit. Hinc *Curiam Rhætorum* perrexit, atque *Clavennam* difficillimo per Alpes itinere pervenit, in via famoſi pagi, *Plours* dicti, miſerabiles ruinas ê longinquo contemplatus.

Superatâ montium aſperitate, hinc brumale frigus et horridam glaciem: illinc auræ clementiam, et quaſi vernas pratorum delicias non admirari non potuit, et rari ſpectaculi diverſitate veluti attonitus ſtetit; adeo ut vix quidquam jucundius in vita ſe ſua vidiſſe, non una poſtmodum vice teſtatus ſit. Itaque beatas *Italiæ* oras ingreſſus primo *Bergomum*, deinde *Brixiam*, *Veronam*, *Vicentiam*, tandemque verum illud Muſarum in perantiqua *Antenoris* urbe domicilium adiit; ubi per integrum triennium ſubſtitit. Hoc temporis ſpatio qui labores, quæ ſtudia *Welſchium* exer-

exercuerint, facile ſecum reputabit, quisquis animum adverterit, Medicinam ibi cumprimis floruiſſe. Aderant *Anatomes* exercendæ opportunitas invidenda: *Floræ* rarioris ſuavitas inſignis: *Noſocomii* publici utilitas optata: dexteritas *Chirurgorum* laude digniſſima: maxima *Medicorum practicorum*, in conſultando et curando, frequentia. His adde naturalem *Noſtri* ſolertiam indolemque laboris non patientem duntaxat, ſed etiam appetentem, certôque judiciô concludes, quantos in litteris progreſſus *Noſter* ibidem fecerit. Nec etiam magnum maris *Adriatici* miraculum, cultiſſimam *Venetorum* urbem, aliquoties inviſere prætermiſit, ubique Virorum doctorum, datâ occaſione, benevolentiam ſibi concilians.

Liceat mihi, hîc paululum digredi: et qualem ſe in *Patavino* Gymnaſio geſſerit *Noſter*, ex *Rolfincii Epiſtola* ad eundem (Habes eam in fine Operis: *De Vena Medinenſi* à *Noſtro* editi) edocere: Ibi *Rolfincius* in hæc verba differit: *Excellebat illo tempore Benedictus Silvaticus, Vir ſine pari, cujus ſummam ſapientiam, prudentiam, perfectiſſimamque cognitionem medicam quotquot ad animum revocabant, unius hominis ingenio omne eruditionis penu contineri admirabantur. Nihil in arte eximium, quod ille non tenebat egregiè. Ab una parte illum elevabat ingenii felicitas, ab altera judicii gravitas et profunditas. Ab hujus tu pendebas ore, ex illo victura ſeculis excipiebas, et in ſuccum et ſanguinem convertebas monumenta. Ille tibi inſtillabat ſaniorum doctrinarum ambroſiam, et cupidum diſcendi animum ſapido ſatiabat nectare. Hic magni tuas æſtimabat dotes, et cum ſciret, eas non eſſe ſine famulitio, ſed ſtipari pulcherrimo variarum*

linguarum comitatu, singulasque dulci quadam conjuratione in te coire in unum, auctor tibi extitit, ut illos saltem libros Abuali Ibn Sina (Avicennæ) *Arabum Principis, quos Patavini in Cathedris explicare solent, politioris sermonis veste indutos in lucem ederes. Ad hoc officium te delinificis animabat verbis Vir summus: se a Te expectare hoc subsidium, doctæ juventuti eximie profuturum, in æternum famæ tuæ incrementum &c.* — Ad alia —

Patavio relicto, caput orbis terrarum, *Romam* petivit, lustratis in via non incelebri oppido *Rhodigino:* munitissima *Ferraria*: *Bonnonia*, studiorum matre fæcunda, et instructissimi rerum naturalium gazophylacii *Aldrovandini* custode: *Florentia*que florentissima. Quemadmodum verò hactenus ubique, sic et *Romæ* eruditæ curiositati suæ abunde satisfacere studuit, Viros doctos compellando: illustriores Bibliothecas accessu crebriori, maximam præcipue *Vaticanam* illam excutiendo: veteris Romæ, intra suas quasi ruinas sepultæ, superstites antiquitates oculis usurpando: et, quæcunque ibi occurebant alia, studiis suis aliquando profutura, diligenter observando.

Neapolin, regiam illam et vel ob vicina *Puteolani* agri miracula merito adeundam urbem, propter seditionis ibi coortæ furorem accedere non fuit ausus, dissuadente inprimis summo studiorum Mæcenate Illustriss. Equite *Cassiano a Puteo*, quem velut patrem colebat: à cujus consiliis pendebat totus: & cujus auctoritate contra omnia, quæ fortuna iniquior inferebat, defendebatur. In *Ægyptum* quoque tranare eum voluisse, non semel audivisse se SCHROECKIUS memorat: cui tamen proposito consentire parentes optimi

ob

ob itineris diſcrimina aliaque incommoda recuſârunt, maximæ ſpei filium teneriori affectu complectentes.

Idcirco in *Patavinum* Lycæum redire decrevit, aliâ quidem, quam quâ venerat, viâ; juxta mare nimirum, quâ *Lauretum* et *Anconam* itur. Atque hîc, præter ſingularia alia, illum ab ſtructuræ elegantiâ, antiquitatis majeſtate, marmorumque vaſtitate celebratum, mediæ moli, quæ (uti *Jo. Henric. Pflaumerus* in *Mercurio* ſuo *Italico* loquitur) pro munimento portûs projecta eſt in mare, impoſitum *Trajani Arcum*: hîc incredibiles Ædis *Lauretanæ*, perpetuo hominum confluxu ornatæ, theſauros; immo ubique locorum, quæ adiit, memorabilia vidit, ac diligenti inquiſitione perveſtigavit.

Cæterùm, cum *Patavii*, usque dum ſtudiorum conſuetum tempus finiretur, ſubſtitiſſet, jungens ſeſe comitem *Cruſiis*, nobiliſs. Daniæ Equitibus, nominatiſſimam urbem *Mediolanum* viſitavit, denuóque Alpes horridiſſimas et montem *Gothardum* transſcendens in *Helvetiam*, ac per *Bellizonum*, *Lucernam*que rurſus *Baſileam et Argentoratum* pervenit. Inde denique in patriæ ſinum ſe retulit, collectum ſtudiorum theſaurum, quem poſtea videbimus, litterato orbi, non ſine applauſu maximo, expoſiturus.

Patrios inter Lares ſtudiorum amore unice flagrans, quæcunque obſtaculo iis eſſe poſſent, ſedulò evitavit, ſtrenuus ſolitudinis ſectator factus; quippe cui tantopere ſeſe addixerat, ut, in Muſarum receſſu conſtitutus, amicorum aliorumve interpellationes, importuniores ſibi viſas, ſæpius

declinârit: et *Scaligero f*) vel priſco illi *Archimedi* non abſimilis, turbas exteras, civilesque calamitates, armorumque et pomparum ſtrepitus penitus ignorârit.

Eadem de cauſſa conjugales averſatus faces cælibem vitam agere maluit, *conſervandi generis humani quam augendi cupidior*, & *non tam liberis, quam libris* nominis ſui memoriam poſteritati transmiſſurus; quos plane genuinos fætus eſſe, et patris veram ſpirare indolem, ubi typo obſtetricante emerſerunt in lucem, dilucide patuit. Atque hac ratione, medio in otio minime otioſus, *ingens inter ſe et cæteros* (ut *Senecæ* verbis utar) *fecit intervallum*; utpote quos doctrina, et Orientalis præprimis Litteraturæ cognitione multis eſt paraſangis antegreſſus.

Etſi vero majorem temporis partem libris evolvendis ac ſcribendis *Noſter* impenderit, ſterili tamen Medicinæ contemplatione minime contentus, *Conſiliis* ſæpe *medicis* oratus interfuit, et conſervationem ac propagationem humani generis curæ ſibi cordique eſſe docuit, ſimulque Medicum non tantum ſpeculatione, ſed et opere ipſo ſeſe demonſtravit; adeo ut dubio locus non ſit, quin, ſi multorum votô aſſurgere atque in publicum ê litteratâ ſolitudine prodire voluiſſet; numeroſa eum ægrotorum turba cinctura fuiſſet: tanto magis, quanto majori cum fiducia multi civium lautioris conditionis, et exteri ad eum tan-

f) *Scaligerus* tanta mentis contentione ad ſtudia incubuit, ut lanienæ *Pariſinæ* illius plane ignarus extiterit. *Archimedes* autem *Syracuſas* ab hoſte expugnatas eſſe, tum primum advertit, cum â crudeli milite lethale vulnus accepit.

Digitized by Google

tanquam ad Delphicum Oraculum accurrerunt, ſuper ſua ſuorumque domi decumbentium adverſa valetudine opem et conſilium depoſcentes. Ob eam rem aptè ipſe in *Nuncupatoria* ad ſuam *Syllogen Curationum* &c. Duumviris & Septemviris *Auguſtanis* ſcripſit: *Clementiæ veſtræ certus & propenſi in litteras animi fiducia erectus, hoc etiam inter præcipuas felicitatis partes repono; quod ex ampliſſimo Ordine veſtro haud pauci ſuam mihi, ſuorumque valetudinem credere non dubitarint.*

Virtutis comes, gloria. Hinc eâdem nec *Welſchius* noſter carere aut potuit, aut debuit. Nam etſi nullô publicô bene emenſi ſtudiorum curriculi teſtimoniô decoratus, aut conſuetis ſummis Doctoratus Inſignibus ornatus domum rediret (non quòd hæc minus promeritus fuerit; ſed quòd forte non ambierit, aut quòd | Atque hoc credibilius eſſe videtur | morbus, ante reditum in patriam eum miſere corripiens, impediverit) etſi in *Collegium medicum* patrium adoptatus non fuerit, quòd ab ampliſſimo Magiſtratu diſerta lege cautum ſit, ne quis, niſi *de Doctoris titulo* legitime impetrato fidem indubitatam fecerit, in illud recipiatur; tamen ſpectabiles glorioſæ virtutis fructus multoties deguſtare *Noſtrum* licuit. Sic, poſtquam *Chiliades II. Curationum et Conſiliorum medicinalium Centurias IV.* ſereniſſimæ Reipublicæ *Venetæ* Optimatibus ſubmiſſo animi cultu dicavit, ſequentibus *Litteris* honorari meruit, quibus venerabilis ille Patrum conſeſſus eruditos *Noſtri* labores et fructuoſam ſcientiam publice prædicare non prætermiſit. En illas!

Aloyſius CONTARENO
Dei gratiâ Venetorum Dux &c.

Univerſis etſingulis tam amicis quam fidelibus, præſentes inſpecturis, ſignificamus cum noſtro Conſilio Rogatorum, qualiter: Doppo g) *publicate alle ſtampe molte virtuoſe Opere continenti Materie diverſe, tutte erudite e neceſſarie, ha ultimamente il Dottor* Giorgio Geronimo VELSCH d' Auguſta, *con la ſua ben verſata intelligenza nell' Arte medica, prodotto a commune benefizio il Libro* Curationum exotericarum et Obſervationum medicinalium, *pienamente applaudito. Con atto ſpontaneo l' ha dedicato alla Signoria noſtra, e nel tempo ſteſſo dato à conoſcere la Divozione ſua particolare; quale come reſta gradita, coſi conviene rilaſciarne à lui il preſente Atteſtato, che valerà a conſolazione del ſuo animo ed a luſtro decoroſo alle ſue ben degne e lodevoli fatiche. Datum in noſtro ducali Palatio die ſecunda Januarii, Indictione decima quinta,* 1676.

Pietro Antonio Grataroli
Segretario.

Sic

g) Latine: *Poſt multa præſtantia, de materiis diverſis, typo publicata Opera, eaque omnia erudita ac neceſſaria, demum* D. Georgius Hieronymus Velſch, Auguſtanus, *ut eſt verſatiſſima Artis medicæ intelligentia præditus, communi bono Librum* Curationum exotericarum & Conſiliorum medicinalium *foras produxit, non ſine omnium applauſu: Hunc ultro ac ſponte Dominationi noſtræ dedicavit, ſimulque ſingularem ſuam erga nos devotionem cognoſcendam dedit; quam, quemadmodum gratam acceptamque habemus, ita convenit, ut præſens Atteſtatum ei concedamus, conſolando ejusdem animo et digniſſimis ac laudabilibus ejus laboribus condecorandis inſerviturum.*

Digitized by Google

Sic Vir multiſcius, inprimis Philoſophiæ naturalis genuinus ſcrutator et Profeſſor publicus Wittebergenſis *Georg. Caſp. Kirchmaierus* quantum honoris perſonæ *Noſtri* haberet, luculenter oſtendit, dum eruditiſſimum ſuum *de Noctiluca conſtante et per vices fulgurante* meletema anno 1676. luci publicæ donatum, nomini *Welſchiano* honorificè conſecravit, appellans eundem *Polyhiſtorem ac Poliatrum celeberrimum, ſæculi ſui decus, Virum litterarum meritorumque gloriâ in Publicum illuſtrem.* Eodem honoris genere *Noſtrum* mactandum ſibi inſuper duxerunt *Henricus Meibomius*, & *Guernerus Rolfincius*: hic, dum ſuum *de Dolore capitis* Librum: ille, dum ſuam *de Medicorum Hiſtoria ſcribenda* Epiſtolam, eidem ſacrando obtulerunt.

Sic etiam *Academia Leopoldino - Cæſarea Curioſorum Naturæ* multum ſplendoris ampliſſimo Collegio ſuo acceſſurum aptè judicavit, ſi eidem *Welſchius* quoque accederet. Hinc *Præſes* illius ſic *Noſtrum* alloqui minime eſt dedignatus: *Noſti conatus noſtros, noſti plerorumque Litteratorum applauſus. Sed non ignoras quoque mutationes temporum & hominum caducitatem, qua præmature abreptus deſideratiſſimus noſter Sachſius h) coruſcus ille*

h) Eſt hic *Philippus Jacobus Sachs* Philoſophiæ et Medicinæ Doctor Vratislavienſis, de quo inter alios *Athanaſius Kircherus* ad *Lucam Schröeckium juniorem* anno 1671. die 24. Julii *Româ* ſcripſit ſequentia: *Ephemerides Vratislavienſes vidi, easque non poſſum ſatis laudare et approbare. Digniſſimum ſane Inſtitutum, et quod exiſtimationi Germanicæ Nationis plurimum profuturum ſperem. Scripſit ad me præterita ſeptimana ejus Senatûs philoſophici Præſes D. Sachs, hoc unicum a me contendendo,*

Digitized by Google

le chori noſtri Phoſphorus &c. Indies major ſit ad nos acceſſus clariſſimorum Virorum, qui in eadem nobiscum deſudare volunt palæſtra, in iisdem mereri et morari caſtris, ſummi Dei gloriæ, Artisque medicæ illuſtrationi pro viribus litaturi; quo nomine te quoque, nobiliſſime Vir! ea qua par eſt ac decet, obſervantia invito, nomine Academiæ Nat. Curioſ. *invitatum volo; ut cœptam hanc noſtram expeditionem deſideratiſſimo illo tuo acceſſu exornare, rariſſimis tuis* Obſervationibus *promovere, et incomparabili tua ſcientia pariter et experientia porro exaltare digneris. Facies eò ipſò rem, ut putamus, illuſtri tua perſona digniſſimam, omnibus et ſingulis* Nat. Curioſis *pergratam, mutuisque officiis et, quæ datur, inſerviendi promptitudine quovis loco et tempore rependendam; id quod tibi de me ſanctiſſime polliceri auſim.* Neque Præſidis votum eventu caruit; habito enim *Noſtri* conſenſu denuo in in hæc verba reſcribere licuit: *Collegam te nunc primùm ſaluto, ac in Ordinem Naturæ Curioſorum jure meritoque recipio, receptumque ſolenniter pronuncio, cum meritiſſimo* Neſtoris *agnomine &c.*

Quanti autem in hujusmodi Collegium receptio æſtimanda ſit, quantumque ea honoris habeat, veſanus ſit oportet, qui non intelligat; ſicubi ad auguſtiſſimum patrocinium, quo illud *Leopoldus* Cæſar impertiendum eſſe ſapientiſſimè cenſuit: ſicubi ad nobilitatem ſcopi, quem ſibi illud propoſitum habet, humani ſcilicet generis conſervationem, et naturalis ſcientiæ incrementum: ſicu-

do, ut ex Italis, Gallis, Hiſpanis, Viros curioſioris doctrinæ illuſtres, me præeunte, dicto Collegio philologico adſciſcerem; quod et me facturum pollicitus ſum. V. *Athan. Kircheri Faſcic. Epiſtol. Auguſtæ.* 1684. *p.* 20.

Digitized by Google

ſicubi ad tantorum in Medicinâ laudatiſſimorum Heroum conſortium, longè honorificentiſſimum, reſpicere voluerit. Meritiſſimo autem jure hæc omnia obtigiſſe *Noſtro*, quis audeat inficiari?

In *Re medica univerſa* certè vaſtiſſimam *Welſchii* noſtri *eruditionem* ac peritiam (etſi Medicorum ſummi nominis elogia clariſſima deeſſent, â me inferiùs afferenda) tamen Libri hac de materia ab eo vulgati affatim loquuntur.

Quam acute in *aliis* etiam *ſcientiarum generibus* viderit, eadem elogia teſtabuntur.

Latinam facundiam, quæ *Noſtro* adfuit, emiſſa in publicum Scripta, ſtylo utpote congruo et ornate elaborata ſatis abundeque monent. Atque ob hanc ipſam cauſſam *Paul. Ambergerus*, in *Diſſertat. II. de Meritis Reipubl. Auguſt. in Rem litterar. p.* 62. teſtari (ex *Morhofio*) neutiquam omiſit: *Omnia Welſchii eleganti non ſolum ſermone ſunt ſcripta: ſed etiam, nihil in eis jejunum, & quod locos communes ſapiat, aut eo contextum filo, quo texere ſua plerumque ſolent, qui nunc ſcribunt in Germania; qui tamen apud plebem Doctorum ùt lumina & ſydera habentur.*

Aliarum autem *Linguarum*, quam ſtudioſus fuerit, nemini, cui *Velſchianum* nomen innotuit, eſſe ignotum poteſt. Etenim præter *Vernaculæ* nitorem *Græcam* quoque, medico ſtudio non tantum ad oblectationem ſed etiam ad penitiorem rerum cognitionem apprime utilem, exactius didicit. Nec minus *Orientalibus Linguis*, ſepoſitis tantiſper gravioribûs ſtudiis, interque illas *Arabicæ* inprimis multum temporis impendit, ſpe laudis et utilitatis inde emerſuræ incitatus. Hinc a *Petro Ebn. Diabi* Halebenſi, Viro juvene modeſto

desto atque erudito, Arabicam καλλιγραφίαν & enuntiationem *Romæ* edoctus: hinc benevolentiâ Cardinalis *Gregorii Barbadici*, ex illustri et avita ejus Bibliotheca, quæ *Venetiis*, Codices Arabicos optimos et pretiosissimos in multum tempus usurpandos procurante *Jo. Rhodio* nactus, eos fecit progressus; ut non tantum Arabice (testante id, præter multa alia, integro *Alcorani* volumine manu *Nostri* descripto) pingere elegantissime, sed expedite etiam legere ac intelligere valuerit. Carere autem Medicum haud posse *Arabicæ* linguæ notitia, ob non nullos ex gente ista olim ortos Scriptores Medicos, quorundam fuit opinio; id quod nemo (si de diffusiori præcipue studio et speculativa scientia Medica sermo fiat) facile inficias ibit; modo ad sacra ista manuductores, tempus, sumptus, et Librorum maxime necessaria supellex, de quibus fortuna et Parentum liberalitas *Nostro* abunde prospexerat, sæpe sæpius non deessent. Credidit siquidem *Noster* cum aliis Viris doctissimis, Librorum *Arabicorum* Latinas, quæ vulgò prostant, Versiones (præter Interpretum barbariem) multis etiam gravioribus scatere erroribus; quas scilicet ejusmodi esse, Clar. *Thom. Erpenius*, *Orat. 2. de Ling. Arab.* affirmat, ut Auctores earum ipsis Scriptoribus meritissimo jure dici possint, summam feciſſe injuriam. Hos ergo *Noster* devitare errores cupidus, *Arabes* in propria eorum lingua legere ut valeret, omni studio contendere voluit; idque eo magis, quo certior fuit, plurimos in vario scientiæ genere et præcipue in Arte medica præclaros exstare apud ipsos, tum nativa linguæ elegantia, tum materiæ, quam tractant, utilitate commendabiles libros.

bros. Obſervabat multa *Græcis* Medicis, præſertim in ſimplicium medicamentorum cenſu (ut de compoſitis taceam) indicta et incognita, ab *Arabum* diligentia in lucem producta fuiſſe; quorum certior notitia non niſi ex ipſo fonte peti poſſet, ac deberet. Non huc a me trahentur *Ibn Raſched*, notiori nomine *Averroes*, *Rhaſes*, *Serapio*, *Alzaharavius*, *Abenzoar*, *Meſue*, alii: ſat dixero, ſi ſolum *Abuali*, ſive (ut communiori vocabulo utar) *Avicennam* nominavero; cujus inſignem laudem, atque inter alios principatum non unus Scriptorum decantavit. Præ cæteris itaque amore hujus mirè captus *Welſchius* (Repete, quæ ſuperiùs *pag.* 118. de *Noſtro*, in *Patavina* Academia commorante, ad hanc rem monui) multum temporis ipſi dicare, ac tantum volumen volvere, ac revolvere non dubitavit, quò reconditam in eo ſingularem doctrinam, quam maximi fecit, in ſuum et publicum commodum eruere poſſet; imò ſi vel illius ſolius in gratiam, tot bonas horas addiſcendæ *Arabum* linguæ impendiſſet, nunquam tamen pœnitere eum laboris potuiſſet. Quam egregiè vero ad ſcopum hunc ſuum pervenerit, vel unicus *de Venâ Medinenſi* Tractatus docere potis eſt. Penitiſſimam ſane ipſum eſſe adeptum linguæ hujus cognitionem, *Rolfincius* in *Tract. de Dolore Capitis* teſtatur, multique alii Sacrorum iſtorum periti fatentur.

Hujus rei optime ſibi conſcius *Noſter* inſolitam atque ad illud tempus inauditam cogitationem animo ſuſcepit. Namque advertens, nemini in mentem veniſſe, ut quod Eruditi quidam in Lingua *græca* magno cum applauſu tentaverant, etiam in Linguis orientalibus tentaretur;

ſe-

Digitized by Google

ſecum conſtituit, integros libros *Arabicó* ſermone conſcribere, atque ita *Europææ* eruditionis ſpecimina in *Aſiam* et *Africam* transmittere: ut *Orientalibus* cultioribus et doctioribus facilius innoteſceret, quanti et nos illorum doctrinas ac politiores diſciplinas æſtimemus, et quanti etiam noſtras ſcientias, recenter inventas, ipſisque ignotas, ab illis æſtimari optemus; quarum maximam partem ſuis fortaſſe minores putant, aut, veteribus tantum inhiantes, etiam contemnunt. Primum laudabilis ejus inſtituti ſpecimen eſſe voluit librum, quem hoc titulo inſignivit: *pretioſæ memoriæ Deliciæ.* In iſthoc Opere, quod poſt extrema ejus fata in magni Philologi *Matth. Frid. Leckii* Bibliothecam tranſiit, *Arabice* (adjecta tamen Verſione latina) deſcripſit labores ſuos, et medica, politica, ac artificioſa plurima, quorum uſus eſſe poteſt, non tantum ad medicinam, ſed etiam ad honeſtam voluptatem, et rem publicam atque familiarem augendam. Vide *Schelhornii Amœnit. litter. T. VI. p.* 490.

Atque ob iſta omnia meritò inter Suevos, meritis in Orientalem litteraturam claros, repoſuit *Noſtrum* idem *Schelhornius, Amœnit. litter. T. XIII. p.* 249. multis eum laudibus extollens, quas reſcribere nolo; ne juſtô longior ſim, & tautologiis chartas impleam. Profecto quantum litteraturæ Orientalis univerſæ cauſſâ cupiverit *Noſter*, apertè oſtendit; quando Senatui *Auguſtano* omnibûs, quibus poterat, modîs perſuadere conatus eſt, ut, quod *Chriſtianus Ravius* jam per aliquot luſtra venale expoſuerat, doctum *Orientis*, â ſe factum, ſpolium (Libros nimirum Orientales rariſſimos) emeret, & publicæ Bibliothecæ inferret.

Sed

Sed irruens hinc *Gallicus*, inde *Ottomannicus* Mavors consilium optimum suffocavit, effecitque, ut illa eheu! cimelia patriæ Bibliothecæ haud addita fuerint.

Nec tamen satiari his satis potuit *Welschii* Genius, in *Philologiam* propensissimus. Unde *Turcicæ*, *Persicæ*, *Armenicæ*, *Ægyptiacæ*, *Sinensis*, et *Ibericæ* Linguarum notitiam quandam pariter sibi acquirendam non infeliciter duxit. *Italicam* etiam expedite loqui didicit; non minus *Hispanica*, *Gallica*que instrui se passus. *Anglicam* præterea, *Belgicam*, *Danicam*, *Hungaricam*, *Polonicam* intelligere propriô ingeniô et sedulitate pro viribus laboravit; ut adeo aptissime à Clar. *Meibomio* in *Epistol. de Medicor. Histor. scrib.* πολυγλωττότατος dictus fuerit.

Sapientia tandem carere nec potuit, nec caruit. Neminem namque Medicorum fugere debet, quam necessaria sit cuivis, medendi Artem profitenti, sapientia. Unde *Medicina* vulgo *Sapientiæ soror* appellari promeruit. Et divinus noster *Hippocrates Lib. de Elegant.* hæc scribere voluit: *Oportet adjungere Sapientiam ad Medicinam, et Medicinam ad Sapientiam. Medicus enim, Philosophus par Deo. Haud magna enim differentia inter utramque. Nam et insunt Medicinæ omnia, quæ ad Sapientiam &c.* Quæ considerans Cl. *Jo. Anton. Lindanus* sic commentatur: *esse Medicus nemo, etiam sciens Artem, potest, nisi idem sapiens.* Quousque vero Sapientia hæc medica extendenda sit, non est hujus loci, aut necesse, operosius deducere. Singularem tamen eam in *Welschio* extitisse, *Acta* ipsius et *Scripta medica* plane singularia hinc, illinc comprobant.

Cui posthæc admirationem cieat, Viros eruditos cumulatis *Nostrum* laudibus fere ad astra tulisse? *Profundâ eruditione et medicâ scientiâ clarissimum* appellare eum non dubitavit noviter tunc in *Germania* exsurgens illustris *Naturæ Curiosorum Societas*; cùm celeberrimos *Europæ* Medicos ad socios, in eruendis Artis medicæ et Naturæ thesauris inexhaustis, labores publicô scriptô invitaret. Eiusdem Societatis Præses, *Jo. Mich. Fehrius* Physicus *Suinfurtensis* eundem *nobilissimum, augustum Augustæ urbis, orbisque litterati, cumprimis autem Chori illius Asclepiadei sydus* vocavit *i*): et alibi de *Nostro* scribere non dubitavit: *Quis quantusque fuerit* ὁ μακαρίτης Nestor *noster, deprædicavit dudum omnis litteratus orbis*: et illustri *Boylio* conferens eundem, ait: *Si decem haberemus Boyle, omnia naturæ arcana dudum nobis essent patefacta. Quid? si decem aut quinque saltem nobis suppeterent Velschii k*). Excellentissimus in alma *Julia* Medicinæ Professor *Henricus Meibomius l*) sic *Nostrum* alloqui non est veritus: *Scripta tua ubique ostendunt, non tantum, quantum in arte nostra exquisita eruditione et multo usu profeceris; sed etiam quam variam præterea bonæ doctrinæ omnis tibi comparaveris suppellectilem: pluriumque linguarum Orientalium, Græcæ, Latinæ, earumque, quæ hodie politioribus ingeniis usui sunt ac ornamento, Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ peri-*

i) V. *Ephemeridum Germ. Med. Physic.* annum ultimum, *Observ.* 191.

k) In *Epistolâ* ad *Velschium*, sed, antequam tradi potuerat, demortuum: et in *Epistolâ* ad *Schroeckium junior.* 1677. 22. *Novembr.* scriptâ.

l) In *Epistolâ*: *de scribenda Medicorum Historiâ. Helmstadii*, 1669. impressa.

Digitized by Google

peritia inſtructiſſimus ſis. Similem in modum *Jo. Daniel Maior m*) eum *Polyhiſtorem ac Medicum longe clariſſimum, Philologum inſignem & ob Obſervationes ſelectiſſimo Collegio Curioſo transmiſſas inſigniter dilectum* pronuntiat. Maximus ille Cimbriæ Æſculapius *Thomas Bartholinus n*) temperare ſibi nequiit, quin *novum Germaniæ lumen, Medicum doctiſſimum, & ingens Germaniæ ornamentum* compellaret. Nec minorî ſtudiô *Athanaſius Kircherus o*) conſilium *Noſtri* de ſcribendo contra illorum temporum Atheiſmum libro collaudans *Pantoglotti celeberrimi* titulô cohoneſtavit. Sed quid Eruditorum de *Noſtro* elogia longo ſermone accumulo, quæ ſi referre univerſa vellem, infinitus ſim, oportet. Itaque finem faciat teſtimonium *Guerneri Rolfincii* ſplendidiſſimum, quô Noſtro *Medici incomparabilis & ſummi antiquitatis vindicis* laudem tribuit, *de cujus doctrina et experientia nihil tam excellens concipi mente poſſit, quod ad meritorum ſublimitatem aſſurgat p*).

Quid jam de *Patronis* Noſtri *Amicisque* dicam? Hos inter nominare mihi fas eſt *Sertorium Urſatum*, medicâ, phyſicâ, ac multiplicî aliâ ſcientiâ et profeſſione ſpectatiſſimum: *Octavium Ferrarium*, ob ſummam eloquentiam, eruditionem, et prudentiam non Muſarum tantum filiis, ſed et maximis Principibus acceptiſſimum: *Georgium a Turre*, in praxi medica exercitatiſſimum, Præfectum Horti medici; *Hieronymum Frigimelicam*, Comitem

m) In *Memoriâ Phil. Jac. Sachſii à Lewenheimb.*

n) In *Volumine I. Actor. Medic. Hafnienſ. Obſerv.* 20. et in *Libro de Transplantat. Morbor.*

o) V. *Faſciculum* laudatum *Epiſtolar. p.* 92.

p) In Tractatu: *de Dolore capitis. P. I. Sect. I. c.* 8.

Digitized by Google

tem et practicum Profeſſorem: *Petrum Marchettum*, Equitem, Medicinæ et Chirurgiæ Profeſſorem: *Joannem Veſlingium*, Equitem Hieroſolimitanum, Virum Orienti Solisque accolis notum, in arte anatomicâ et re herbariâ immortale nomen adeptum: *Claudium Berigardum*, Philoſophiæ Profeſſorem primarium: *Caſparem Scioppium*, Gonnæ et Claræ vallis Comitem: *Joannem Rhodium*, illum Muſarum ocellum: *Joannem Leonicenum*, Ateſtinum, Anatomicum dexterrimum: *Theobaldum Prævotium*, filium *Joannis*, olim Profeſſoris Patavini: *Petrum a Caſtro*, Veronenſem Medicum: *Ovidium Montalbanum*, Comitem et Equitem auratum: *Fortunium Licetum* de re litteraria optime meritum. Sileo Leonem *Allatium*; Lucam *Holſtenium*; Petrum *Servium*, Medicum Romanum; Melchiorem et Joan. Albertum *Sebizios*, patrem et filium; Rudolphum *Salzmannum*; Michaelem *Sennertum*; Adamum *Henningum*; Jo. Jac. *Wepferum*, Poliatrum Scaphuſanum; Matthiam *Bacconum*, Anglum; Joan. *Paterſonium*, Phyſicum Eperienſem; Chriſtianum *Utenbogardum* Medicum Ultrajectinum; Ottonem *Heurnium*, Profeſſorem Lugduno-Batavum; Jo. Andr. *Boſium*, Profeſſorem Jenenſem; Jo. Nicol. *Caunam*, Patricium Genuenſem; Jac. *Barnerum*, Phyſicum Elbingenſem; Jo. Sigiſm. *Elsholzium q*) Archiatrum Electoris Brandenburgici; Jo. Matth. *Fabrum*, de quo ſuperius *pag.* 90. dixi; Mart. *Fogelium*, Medicum Hamburgenſem; Jo. *Friſchmuthum*; Jo. et Petr. *Grazonios*, Nobiles Venetos; Hartmann. *Gram-*

q) Hujus *Epiſtolam*, quòd maxime in laudem *Noſtri* vergat, integram SCHRŒCKIUS *Memoriæ Velſchianæ* ſuæ inſerendam duxit.

Digitized by Google

Grammannum, Archiatrum Swerinenſem; Jacob. *Gronovium*, Profeſſorem Daventrienſem; Petr. *Lambecium*; qui Noſtri elegans *de Vena Medinenſi* Opus auguſtiſſimæ Imperatrici *Claudiæ Felici* humillime dedicatum, non ſine inſigni *Velſchianæ* virtutis commendatione, obtulit; Antonium *Magliabechium*; Georg. Wolfg. *Wedelium*. Sileo *Auguſtanos* ejus ætatis Eruditos, *Noſtro* amiciſſimos. Sileo ſexcentos alios, ne prolixiori eorundem enumeratione tuam, Lector benevole! patientiam plus juſtô fatigem: præſertim cùm inferius, in *Catalogo Operum Noſtri*, ampla eosdem nominandi occaſio recurſura ſit.

Habes de *Vita*, *Studiis*, *Itineribus*, *Doctrinâ*, *Amicis* Noſtri, mox etiam de *Scriptis* ejus habiturus; poſtquam de corporis, quam ſortitus fuerat, conſtitutione, morbóque extremo diſſeruero. Mundum vix bene ingreſſus *Welſchius*, confeſtim Morbonæ inſultus ſenſit, maligna & fera ſcabie a puero ad annum usque decimum quartum laborans: quâ tandem (poſt multa a diverſis Medicis in caſſum adhibita remedia) balneorum præcipue & unguentorum uſu feliciter pulſâ, meliore poſtea ſanitate frui cæpit. Sequentibus autem annis graves illæ effloreſcentiæ nonnunquam recurrere & brachia aliasque corporis partes vexare non omnino ceſſarunt. Quæ ulcuſcula, ob pruritûs moleſtiam, ad ſanguinis usque effluxum ſcalpens, ſæpiſſime pedum inflammationem ultimô vitæ decennio ſibi induxit, poſtremis quoque ante obitum diebus ſævitiam ejus expertus. Abſoluto ſtudiorum curſu, jamque itinere *italico* perfunctus, *Argentorati* ante ſuum in patriam reditum graviſſimâ melancholiâ miſerè affligi cœpit: quæ,

taciturnitati demum juncta obſtitit; quo minus; ſumma cum difficultate in patriam reductus, ipſos parentes præ amore et commiſeratione lacrymîs diffluentes, ne dicam, cognatos amicosve ſalutaret, aut verbulum aliquot dierum ſpatio proferret, ſævis tandem convulſionibus & aliis truculentis ſymptomatis accedentibus: usque dum, longo tempore ſic exacto, ad *Deunacenſes* Acidulas, difficillimo ob morbum itinere, deductus paulatim ſe collegit, mentisque priſtinum imperium denuo obtinuit. Interim ſolitudinis, ùt dictum eſt, amantior triſtiora quandoque temporum intervalla in vita habuit: uno autem, et quod excurrit, ante mortem anno crudelem epilepſiæ incurſum iterum paſſus, vires corporis notabiliter decreſcere ſenſit; adeo ut nec meditando animum, nec ſcribendo dexteram exercere diu licuerit. Hîs malîs ad extrema redactus, præter recrudeſcentem in ſiniſtro crure inflammationem & exulcerationem (Hæc in gangrænam, mature tamen repreſſam, abierat) in febrim acutam incidit, interpolatis deliriis & ſummæ reſpirandi difficultati, nec non impreſſioni alicui melancholicæ conjunctam *r*). Ab his itaque craſi ſanguinea diſſoluta, ſpiritibusque diſſipatis annô 1677. die 11. Novembr. circa horam nonam veſpertinam exſpiravit,

r) Cum notitia morbi, qui *Noſtrum* e vivis ſuſtulit, ſtudioſe ſuppreſſa fuerit, nihil certi ſe de eo habere faſſus eſt *Schroeckius*. Attamen ex relatione chirurgi, qui *Noſtro* multoties et inprimis in poſtrema ægritudine adſtitit, hariolari potuit, quæ ſuperius dicta ſunt. In *Wageneri Schurzfleiſchianis p.* 178. lego ſequentia: *Georg. Velſchius ſub finem vitæ ita correptus eſt ægritudine animi, ut ipſe ſibi diſplicere videretur.* Additur: *Opera ejus poſthuma lectu ſunt jucundiſſima.*

Digitized by Google

ravit, corpore exanimo in Cœmeterio *S. Stephani* honorifica cum pompa ſepulto.

Monumentum *Noſtro* nullum (quod ſcio) poſitum cùm ſit; lubet afferre, quæ *Jo. Mich. Fehrius*, Academiæ Curioſorum Naturæ Præſes: & *Georg. Abrah. Mercklinus* triſtiſſimo funeri accinuerunt.

D. O. M. S.

Velſchius occubuit! Vix credo — Velſchius ille,
Cui toties victas mors dedit atra manus.
Velſchius Auguſtæ auguſtus ſol urbis: & orbis
Docti illuſtre decus, conſpicuumque jubar:
Naturæ genius: Sophies lux: inclytus Artis
Dux medicæ: noſtri gloria ſumma Chori:
Neſtor, *Neſtoreis unus digniſſimus annis.*
Plangite Pierides! Veſter Apollo jacet.
Argo noſtra ſtupet. Patientius ite ſub umbras,
Vos, abjectæ animæ! Velſchius occubuit.

Collegæ deſideratiſſimo *P. Joh. Mich.* FEHR *D. Phyſicus Suinfurtenſis &c.*

In Obitum univerſæ Reipubl. Medic. luctuoſum
Viri quovis titulo majoris
Georgii Hieronymi Velſchii
S. R. I. Academ. Natur. Curioſ.
Fautoris & Collegæ ſui deſideratiſſimi.
Velſchius, haud fruſtra dictus cognomine Neſtor,
Optimus et multo nomine Noſter *erit:*
Conſiliis, non-unius qui flumine Linguæ,
Rerum erat & varia cognitione potens.

Digitized by Google

Verùm ait invertens: Sterno; *heu! nec* Neſtoris
annos,
Ter dignum quamvis vivere, *Parca*, *ſino.*
Ultimi honoris ergo
F.
D. *Georg. Abrah.* MERCKLINUS
Jun. Medicus Noribergenſ.

Similiter *Georg. Wolfg. Wedelius* ſequentibus *Noſtri* obitum deflevit:

Ereptum Medicina dolet, *quem ſidere fauſto*
Clarantem vidit pulpita docta Virum.
Hic Arabem Solem Germano lumine ditans
Neſtoreos annos vivere dignus erat.
Hic, *quidquid naturæ ſuis abſcondidit antris*,
Complexus, *clara luce videnda dedit.*
Plurima digeſſit, *detexit plurima*, *et ipſe*
Divino ingenio repperit inde nova.
O! utinam plures Divina faventia nobis
Concedat ſtudiis, *arte ſideque pares!*
Heroas Pylios puto. Sed celeberrima Velſchi
Immarceſcibili fama vigore nitet.
Ipſe ſibi exegit monumenta perennia; *noſtrum eſt*
Perpetuò memori mente tenere Virum.

Sed elogorum et leſſuum nihil utilitatis habentium ſatis —

Sic *Welſchius* ævum exegit ſuum, immortalem nominis famam in Scriptis ſuis ferme innumeris relinquens, quæ recenſere pro more non ſolum juvat, ſed et oportet; cum plurima curioſa complectantur. Sunt illa triplicis generis: *edita*, *inedita*, *meditata.*

Edi-

Edita Noſtri ſunt.

I. *Diſſertatio medico-philoſophica de Ægagropilis.* c. fig. in 4. *Auguſtæ Vindel.* 1660. | Recuſa in 4. anno 1668. additâ quâdam Diſſertationê eandem materiam tractante. In hoc Libro, *præter ſingularia alia, abſtruſam olim ſaluberrimarum Pilarum, ex ventriculis rupicaprarum extractarum, naturam: nomen ſcilicet, generationem, electionem, virtutes, & uſum convenientem* Welſchius *eruditiſſime, nec minori cum applauſu propoſuit;* uti teſtatur *Schroeckius l. c.* Idem Opus laudat inſuper *Chr. Guil. Keſtnerus* in *Biblioth. medic. p.* 551. *Jo. Joach. Bechlerus* Conſiliarius & Archiater cæſareus tanti fecit hunc *Noſtri* librum, ut *Naturalium Rerum &* præcipue *Plantarum hiſtorias* edens, non dubitarit, ſuis ea, quæ *Noſter* de *Ægagropilis* latine ſcripſerat, inſerere in germanicum converſa.

II. *Sylloge Curationum et Obſervationum medicinalium. Centurias VI. complectens, cum Notis: et Epiſagmatum Centuria I.* in 4. *Auguſtæ Vindel.* 1668. & 1676. Hanc Syllogen *Davidi à Stetten* & *Octaviano Langenmantelio* Duûmviris & ceteris *Septemviris* Reipublicæ Auguſtanæ ſacram eſſe voluit. Complectitur illa *Marcelli Cumani* Medici Itali, *Ieremiæ Martii, Achillis Pirminii Gaſſeri, Jo. Udal. Rumleri*, trium Medicorum Auguſtanorum, *Hieronymi Reiſneri* Medici Curienſis ſive Nordlingani *Obſervationes*, quibus *Noſter* Notas eruditas aſperſit, inſuperque *Epiſagmata*, veluti *Centuriam ſeptimam*, adjecit. *Nec ſilentio prætereunda* (ùt *Schroeckius l. c.* apte monet) *Operis hujus Præfatio; quia non ſolum de*

laudabili ſuo, Theſaurum medicum ſcribendi, propoſito in ea tractat; ſed et ſyllabum Obſervationum, Curationum, Epiſtolarum & Conſultationum medicinalium ineditarum, partim tamen promiſſarum, apponendo ad utiliſſimam illarum publicationem Profeſſores exhortatur. In laudem *Noſtri* quoque *Keſtnerus l. c. p.* 477. ſequentia ſcribit: *Welſchius non ſolum vulgatâ aliorum Medicorum, Curationum & Obſervationum Sylloge; ſed etiam propriarum Obſervationum Hecatoſteis II. de Re medica bene mereri ſtuduit.*

III. *Exercitatio de Venâ Medinenſi, ad mentem Ebnſinæ, ſive de Dracunculis Veterum, ſpecimen exhibens novæ Verſionis ex Arabico cum Commentario uberiori: cui accedit altera, de Vermiculis capillaribus Infantum.* in 4. *Auguſtæ Vindel.* c. fig. 1674. Dicavit *Claudiæ Felici* Imperatrici Romanæ. Ad calcem Operis habetur *Guern. Rolfincii* Epiſtola ad *Noſtrum* hortatoria, ut tum hoc tum alia plura meletemata in lucem edat. Subit *Noſtri* Epiſtola ad *Theoph. Spizelium*, quâ Amicum hunc ſuum intimum rogat, ut aliquid *de Serpentibus ignitis*, populo Iſraelitico in Deſerto immiſſis, addat: quod ipſum præſtitit *Spizelius* in *Reſponſoria* ad *Noſtrum*, docens, *ſerpentes* iſtos ab effectu *ignitos* in Scriptura appellari. Obſervatu quoque digniſſimus eſt *Index nominum & Verborum, Linguarum XXIIX. quæ adducuntur & explicantur.*

De Opere hoc ſequens eſt *Luc. Schröckii* judicium: *In quo (præter ſingularis in Orientali litteratura cognitionis, judicii ſublimis, infinitæ lectionis, & medicæ ſcientiæ laudem) Polyhiſtoris & (neſcio) quod non epitheton ſibi jure meritoque appro-*

propriavit. Cæterum tam dextre naturam affectûs illius, antea non ſatis à quoquam expenſam aut dilucidatam, deſcripſit; ut parum addi amplius poſſit. Albertus *de Haller* in *Biblioth. Medic. pract.* Auctorem nimis prolixe tractaſſe argumentum propoſitum, & latius, quam par eſt, vagari affirmat.

IV. *Hecatoſteæ II. Obſervationum phyſico-medicarum.* in 4. c. fig. *Auguſtæ Vindel.* 1675. Impenſis *Theophili Goebelii* bibliopolæ: Typis *Jo. Schoenigkii.* Conſecravit illuſtri *Societati Naturæ Curioſorum* in gratam memoriam, quod inter ejus membra receptus eſſet: qua re archiatrorum, *Joelis Langelotti* Holſatici, *Jo. Sigism. Elsholtii* amici plurimum (ùt ait) colendi, & *Chriſt. Adolphi Balduini* Poliatri Haynenſis exemplum æmulatus eſt.

Sunt *Obſervationum Centuriæ duæ*, in quarum prima (ut *Schroeckius l. c.* affirmat) *Obſervationes phyſicas ſive quæ ad Naturæ illuſtrationem præcipue faciunt: in altera autem, quæ ad uſum & prudentiam medicam augendam conferre queunt, & quæ ipſius propriæ pleræque ſunt, propoſuit. In omnibus autem vere* Curioſum *ſe probare voluit.*

V. *Commentarius in Ruzname Naurus, ſive Tabulæ æquinoctiales novi Turcarum & Perſarum anni.* in 4. c. fig. *Auguſtæ Vindel.* Apud *Goebelium.* 1676. Dicavit *Chriſtophoro Weikmanno* Ulmenſi Quintumviro, & Judicii Auguſtalis Præſidi, à quo *MSS. Turc-Arabicum* dono acceperat.

VI. *Somnium Vindiciani, ſive Deſiderata Medicinæ.* in 4. *Auguſtæ Vindel.* 1676. In hoc Libro exponit medicas, de quibus nihil adhuc ſcriptum fuerat, materias, uſus ſtylô fabularî, quem mixtum

tum rectiùs vocare voluit (nec ideo *Mileſio*, nec *Satyrico*) ut ingenio ſuo obſecundaret & ſeriis jucunda miſceret: ficque præclare ingenia ad capeſſendas vacuas, quas enumeravit, *provincias* incitavit. V. STOLL *Anleitung zur Hiſtorie der mediciniſchen Gelehrtheit. p.* 285.

VII. *Chiliades II. Curationum exotericarum: et Centuriæ IV. Conſiliorum medicinalium.* in 4. *Ulmæ.* 1676. Hæc, utpote magna ex parte â *Medicis*, ſub *Veneto dominio* olim clariſſimis, profecta eidem *ſereniſſimæ Reipublicæ* dedicavit: quæ viciſſim *Noſtro* non ſolùm *Atteſtatum* honorificentiſſimum ſuperiori *pag.* 122. allatum ſcripſit, ſed etiam inſigne *Donum nummarium* adjecit.

VIII. *Anatome â* VESLINGIO *in Gravidâ privatim anno* 1646. *celebrata.* Cum typographus & bibliopola Patavinus *Petr. Mar. Frambottus* Syntagma anatomicum *Jo. Veſlingii*, Commentario *Ger. Leon. Blaſii* auctum, anno 1677. recudendum ſuſcepiſſet, intellexiſſetque abs *Magliabechio*, habere aliquid *Welſchium*, quod adjungi poſſet, id facile parario *Luc. Schroeckio*, ſcilicet ſupradictam *Anatomen*, impetravit, *una cum Notabilioribus nonnullis in Sceleto, a Cl. Leoniceno alio tempore demonſtratis, & Tabula anatomica de foetu.* Ita teſtatur *Schroeckius* ipſe, *l. c.* ubi, ex ore *Welſchii*, erratum quoddam a Chalcographo admiſſum correxit.

IX. *Epiſtola ad Excell. Joan. Matth. Fabrum.* Hanc *Strychnonomiæ* ab eodem *Fabro* anno 1677. vulgatæ ſubjecit *Noſter*, egregiáque nonnulla de *Solanis* in illa protulit. Immo *Obſervationes* in hanc *Strychnomaniam* vel ſcripſit vel ſcribere cogitavit, uti ad finem hujus *Narrationis* videbis.

X.

Digitized by Google

X. *Epiſtolæ Argonautæ ad Neſtorem et Neſtoris ad Argonautam.* in 4. 1677. quæ ultimò tradidit *Schroeckio*, promiſſi olim *Theſauri Experientiæ medicæ* (cujus ſimul *Specimen de Abortu* ſubjecit *Noſter*) cauſſâ typis publicatæ ſunt. Dictum ſcilicet *Theſaurum* ſi ante obitum perficere non valeret, Academiæ Curioſorum, ejusque Præſidi (*Argonautæ* cognominato) dicare, ſuæ mortalitatis conſcius, eoque ipſo Collegas honoratiſſimos laborum ſuorum non ſine temporis diuturnitate, eruditione & practici judicii ſoliditate abſolvendorum ſucceſſores ſive hæredes nominare ac inſtituere voluit. Ita *Schroeckius*, addens: *Prout quoque materiam pro illo* (Theſauro) *congeſtam et poſt mortem in peculiari ciſtula inventam, atque ab hæredibus, quos ſuos ex fratre natu majore* (*cujus ædibus & convictu fruebatur*) *nepotes eſſe voluit, per me requiſitam tibi, laudatiſſime D. Præſes! nuper transmiſit.*

XI. *Obſervationes curioſæ XX.* quas ad *D. Sachſium* ſuperius memoratum miſit, *Miſcellaneorum Curioſorum*, *Anno I. & III.* poſtea inſertas. Sunt hæ: *Obſervatio* 151. agens *de Xylo Aloë cardioide*, ubi ſimul de optimo ligno Aloës, diverſo à vulgari, quædam conjecturatur. *Obſervatio* 152. Lignum *Saſſafras*, in Officinis proſtans, non ipſum lignum, ſed lignoſam tantum radicem, diverſam à vero lignô, eſſe oſtendens. *Obſervatio* 153. Tabaci Japonici aliqualem dans deſcriptionem. *Obſervatio* 154. Mortem etiam ſaxis marmoribusque, imò gemmis venire, exemplo Iaſpidis carioſi oſtendens. *Obſervatio* 155. Rariorem unam alteramque Margaritarum figuram adducens, à qua ipſi Margaritæ Onychinæ et Margaritomantiæ

tiæ vocantur. *Obſervatio* 156. de variis à natura in Achate depictis figuris agens, ſuumque, Lunæ corniculatæ effigiem lacteo ſemicirculo repræſentantem, adverſa autem parte Veneris phaſes, quales in Magni *Athanaſ. Kircheri Itinerario Ecſtatico &c.* depinguntur, referentem commendans, atque ob Lunæ picturam *Seleniten*, ob Veneris autem, *Aphrodiſium* appellans; quâ etiam occaſione de Pyrrhi Achate, novem Muſis cum Apolline inſignito, aliisque à Naturâ pictis marmoribus tractat. *Obſervatio* 157. Lapides Tirolenſes duplicis generis, quos ad Gagaten referendos exiſtimat, deſcribens, partim ob vertebrarum dorſalium ſimilitudinem, *Spondylolithos*; partim ob phaſeolorum figuram, *Dolicholitos* vocans. *Obſervatio* 158. Adoleſcentem cæmentariis operis adſcriptum, et perpetua tuſſi, quâ nonnunquam calculoſam congeriem ejecit, quam calcem concretam ſuſpicatur, excruciatum producens. *Obſervatio* 159. Tres nondum deſcriptos Fructus Americanos proponens, cælatum, cardioidem, et triaſterem radiatum ab ipſo appellatos. *Obſervatio* 160. Muris Alpini anatomen tradens. In *Anno* autem *III. Ephemeridum Curioſarum* hæ *Obſervationes* occurrunt, ſeqq. numeris ibidem notatæ. *Obſervatio* 29. De Pila Cervicapræ Orientalis, ſive Ægagrelapho Indico. *Obſervatio* 30. Lapidem nephriticum album rariorem eſſe, et flavum unà efficaciorem, præ vulgatiori illo vireſcente, pronuncians: chemicè quoque reſolutum in obſtructionibus variis cum emolumento adhiberi innuens. *Obſervatio* 31. Locum *Athenæi* exponens de hortis in Navi Hieronis Regis Syracuſani; uti et, quid Veterum Horti Adonidis, penſilesque fuerint,

rint, edocens; ac denique collectæ ex Opuntia Pliniana Lachrymæ mentionem faciens. *Observatio* 32. Naturæ artificium et luſum in lapidibus prægnantibus, Gemmis in Gemmis, et Ovis in Ovis curioſe admirans. *Observatio* 33. de Myrobalanorum ſpeciebus loquens, et imprimis quartam *Ebn Sinæ*, ſive ſextam *Bontii* depictam inſerens. *Observatio* 34. Fungillum Mithridaticum omnium minimum, Scordio Pontico adnatum, exhibens. *Observatio* 35. Judicium ſuum de prodigioſis, vulgò jactatis, inediis proferens, easque omnes fictas fuiſſe, concludens; ac in ſpecie puellæ cujusdam Auguſtanæ ante ſeſquiſeculum ementitam abſtinentiam recenſens. *Observatio* 36. Margaritiferum eſſe omne Concharum et Oſtreorum genus poſtquam adſeruiſſet, Margaritas Vindelicas ſive Auguſtanas deſcribens; et ratione nitoris atque collectionis Perlarum, aliquid de earum viribus ſubjungens. *Observatio* 37. Struthiones Metalla devorata diſſolventes, et ſpeciatim pulverem metallicum nigrum ex ventriculo ſtruthionis exemtum memorans. *Observatio* 38. De Nævorum varietate inprimis de illo, ciceris formâ, in facie M. T. Ciceronis, conſpicuo tractans.

Præter has *Obſervationes*, alias inſuper memoratæ *Academiæ Curioſorum* obtulit, *Anno VI. Ephemeridum* inſerendas, quas integris *Centuriis tribus* comprehenſas, &

Miſcellaneorum medicorum

nomine inſignitas, ex variis Manuſcriptis (adjectis quoque, ex ſuis, pauciſſimis) collegit: à brevitate ad *Henr. Smetii* imitationem commendavit: Notisque neceſſariis adauxit. In his multa maxime utilia contineri, cuivis legenti innoteſcet.

Tan-

Digitized by Google

Tandem ad *Miſcellaneorum Annum VIII.* ſuam quoque ſymbolam contulit: videlicet *Obſervationes undecim*, quæ ſunt *Obſerv.* 35. Punctura Veſpæ et Aranei præſentaneo remedio, ex impoſito uno alteroque Salviæ nobilis recenti foliolo, curata. *Obſerv.* 36. Vigiliæ cum ejulatu diuturnæ, â lumbricorum copia. *Obſerv.* 37. Diarrheæ pertinaces, per ova ad duritiem cocta & cum aceto roſaceo exhibita, curatæ. *Obſerv.* 38. Tumor lienis febriculoſus, malagmate ex Nicotiana ſanatus. *Obſerv.* 39. Σπατίλη, ſive Fluxus alvi, qui â ventriculi fermento per nimium potum obtuſo oritur, ſumpto Orvietano ex vino generoſo ſedatus. *Obſervatio* 40. de Hyderode affectu &c. &c. *Obſervatio.* 41. Lumbricus latus, quinque ulnarum longitudine, a purgante expulſus. *Obſervatio* 42. Vomituritio lethalis: ubi ſimul Tartari Emetici Mynſichti infelicem ſemper ſibi contigiſſe uſum fatetur. *Obſerv.* 43. Hernia inteſtinalis *s*). *Obſerv.* 44. Fungilli minimi Cithriorrhizæ, ſive circa radices citriæ arbuſculæ propullulantes. *Obſerv.* 45. Tithymalocampi Clagenfurtenſes, ſive Erucæ in tithymalis repertæ, ſolo contactu ardorem et pruritum excitantes.

XII. *Methodus medendi Walæo - Welſchiana.* in 12. *Auguſtæ.* 1679. Opus poſthumum, â *Schroeckio jun.* in lucem protractum, de quo vide ſupra *pag.* 74. Addere hôc loco *G. C. Schelhameri t*) judicium convenit, dicentis: *Multum debemus G. H. Welſchio, quod Walæi Librum Notis & Animadverſionibus exornare dignatus ſit, ſine quibus legi non*

s) Hanc *Obſervationem* penitus omiſſam optaſſet *Schroeckius l. c.*

t) V. *Chr. Guil. Keſtneri Biblioth. medic. p.* 596.

Digitized by Google

non debebat. *Licet enim ad Galenicæ Methodi excellentiam neutiquam accedat, legi tamen omnino & expendi meretur iſthæc Walæana Methodus.*

XIII. *Curationum propriarum & Conſiliorum medicorum Decades X. cum Commentario, ſive Exegeſi neceſſaria. Opus poſthumum.* in 4. *Auguſtæ Vindel.* 1680. In lucem produxit *Lucas Schroeckius junior* (Hinc vide ſuperiùs *pag.* 74.) et dedicavit *Leonhardo Weiſſio* Duûm-Viro Auguſtano.

XIV. *Dodecas Epiſtolarum.* Habetur ad calcem *Epiſtolarum Gerardi Joannis Voſſii &c.* in fol. *Auguſtæ Vind.* 1691. excuſarum.

Non conveniens duntaxat, ſed neceſſarium quoque videtur, dictarum *XII. Epiſtolarum* elenchum exactiorem dare. In I. *Welſchius u)* noſter *Scripta ſua* enumerat numerô *ſeptuaginta x)* quæ partim jam *abſoluta*, partim *abſolvenda*, S. R. I. biblio-

u) Decreverat *Noſter* has *Epiſtolas* publicare; ſed poſtmodum (neſcio quibus de cauſſis) mutato conſilio ſuppreſſit: unde illæ aliquanto tempore latuerunt. Cetèrum *Theodorus* quoque *Janſ. ab Almelooven* ſuæ *Bibliothecæ promiſſæ et latenti* inſerendas duxit.

x) Quando *Welſchius* ſupra memoratam *Epiſtolam* exaravit anno videlicet 1674. verè numerô *ſeptuaginta* erant. Sed quia tum ipſe poſtea nonnulla eorum vulgavit: tum alii, ipſo jam mortuo, protraxerunt in lucem, nunc duntaxat numerum *ſexaginta quatuor* æquant. Inſigne autem modeſtiæ ac prudentiæ ſuæ documentum dedit, *Epiſtolam* hanc ſuam ſequentibus claudens: *Hæc omnia, antequam edantur, cenſuræ ſubjiciam; prout opus erit: et loci, ubi excudentur, ratio poſtulabit. Nihil enim ex iſtis omnibus a me dictum ſcriptumque volo aut agnoſco, quod Religioni aut Principibus chriſtianis, aut bonis Moribus contrarium oſtendi queat. Quamprimum enim commonitus fuero, aut omnino delebo; aut ſaltem emendabo.*

bibliopolis et typographis obtulit excudenda. Eum in finem *abſoluta* aſteriſco † diſtinxit: *abſolvenda*, quæ *menſes* aliquot ad expoliendum requirerent, litterâ *M*: quæ vero *annum* aut plus ſibi poſtularent, litterâ *A* notavit: addens inſuper, *quot* unumquodque *Alphabeta* impleturum eſſet. In II. ad *Fridericum*, Ducem Wirtembergiæ, de Scriptionibus Arabicis, Græcis, et aliarum linguarum renovandis: de *pretioſæ memoriæ Deliciis y) linguâ Arabicâ* ſcriptis agit. In III. ad S. R. E. Cardinalem *Gregorium Barbadicum* de *Ebaffariri Baſrenſis Sermonibus* tractat. In IV. ad *Octavianum Langenmantelium* Duumvirum Auguſtanum de *Monumentis Auguſtanis auctis*, et *Patini Gruteriano Inſcriptionum Opere* meminit. In V. ad *Leonardum Weiſſium* Duumvirum Auguſtanum *de Epidemia Vindelica ab A. Chr.* 1515. *usque ad A.* 1677. a ſe conſcripta differit. In VI. ad *Chriſtoph. Weikmannum* Quintumvirum Ulmenſem *de Theodoſii Aſtronomicis MSS. de Ferduſo MSS. Arabico* dicit. In VII. ad *Jo. Georg. Styrzelium* Auguſtanum, Conſulem Rottenburgenſem, Libros duos *Trajaneidos* Carmine deſcriptos memorat. In VIII. ad *Petrum Paderum*, Conſiliarium cæſareum et Vice-Cancellarium Auſtriæ ſuperioris, *de Nono Medico*, ex MSS. Auguſtano græco, rurſus edendo agit. In IX. ad *Joann. Georg. Werndle* Conſiliarium Ferdinandi Mariæ Ducis Bavariæ, MSS. *Simeonis Sethi* ex Bibliotheca Electorali ſibi communicari rogat. In X. ad *Hieron. Velſchium*, Conſiliarium et Præfectum Everhardi Ducis Wirtembergici, conſanguineum ſuum, *Philomathetica* ſua eidem mittere nuntiat. In XI. ad *Sertorium*

y) Huc refer, quæ *ſuperiùs*, *pag.* 128. monui.

riam Urſatum, Patritium Patavinum &c. *de Occonis et Patini Numiſmatibus &c.* mentionem facit. In XII. ad *Jo. Joach. Becherum*, Conſiliarium Cæſareum et Archiatrum, *de Commerciis Europæis et Americanis, de nonnullis Chemicis rarioribus &c.* agit.

Huic *Epiſtolarum Dodecadi* Elenchus aliarum *Epiſtolarum à Welſchio Viris illuſtribus deſtinatarum, morte vero Auctoris ſimul extinctarum* ſubjungitur, continuando à *N. XIII.* usque ad *N. LXX.* Quem Elenchum in fine hujus Narrationis addere conſtitui, tum ne quid eorum, quæ ad *Noſtri* laudem facere videntur, præteream: tum ut magis pateat, quantâ famâ toto Europæo orbe *Noſter* floruerit, quantoque in pretio à ſuæ ætatis præſtantiſſimis Viris habitus ſit.

XV. *Specimen Supplementorum G. H.* WELSCHII *ad Bibliothecam Geſnero - Simlero - Friſianam.* Edidit iſtud *J. G. Schelhornius z)*, apud quem ſequentia præmittuntur: *Aut nemo unquam omni ætate ſublime Polyhiſtoris nomen reipſa promeruiſſe dicendus eſt, aut certe G. H. Welſchius, maximum et Auguſtæ et ævi ſui decus, in ſcientia diviniori, jurisprudentia, arte ſalutari, et elegantioribus, quas vocant, litteris præclare verſatus, atque omnigenæ eruditionis mactus ſupellectile, Italicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, Græcæ, Latinæ, pluriumque linguarum Orientalium, Arabicæ præſertim ad miraculum usque peritus, inexplebilis librorum helluo, qui, quæ multi ſingula, ſolus habuit... Licet is in* Epiſtola de Scriptis ſuis *haud meminerit* Supplementorum, *quibus* Bibliothecam Geſnero - Simlero - Friſianam *reddidit auctiorem, digniſſima tamen ea vi-*

z) In *Amœnit. litter. T. VI. pag.* 490.

dentur, quæ vel ſeorſim, vel cum laudata Bibliotheca, ſi quis forte novam illius editionem ſuſcipere-t, publicæ luci exponantur. Adſervat ea M. Georg. Ruprechtus, *Verbi divini in Eccleſia Auguſtana Miniſter, qui .. facile conceſſit, ut inde Specimina quædam excerperentur. Accipe igitur paucas Viri ſummi Notationes e plurimis, quæ ſingulare volumen efficerent.*

Cæterum de *Velſchii* Scriptis eorumque pretio legi poterit ſupra laudatus Albertus *de Haller* in *Biblioth. Medic. pract. T. III. p.* 83. et *ſeqq.* ubi additur, *Noſtri*

XVI. *Remedia uſu probata*: *Bewährte Arzneymittel*, cum aliis *Baſileæ*, in 4. 1704. typis procuſa fuiſſe.

Hucusque de editis *Noſtri* Operibus — Reliquit is autem inſuper permulta *MSSta*; uti ſuperius *pag.* 145. *N. XIV.* monui. De his igitur dicere pergo.

Inedita Noſtri ſunt.

Superius *N.* (*x*) *pag.* 145. monui, inedita *Noſtri* Opera *ſexaginta quatuor* eſſe. Horum alia abſolvit *Noſter*: alia, maximâ ex parte, haud numeris omnibus abſoluta reliquit: alia nondum inchoaverat: alia denique, cum Muſæum et Bibtheca ejus poſt mortem luſtraretur, plane abfuerunt, etſi adeſſe debuiſſent. De ſingulis ex ordine, ipſiſſimis *Schroeckii l. c.* verbîs.

1. Bibliotheca Medici eruditi, *imperfectis ſuis a* Velſchio *ipſo annumerata. Quâ occaſione promiſſi ſui recordatur, quod in Præfatione* Sylloges Obſervationum medicinalium *dederat* (*de Opere ſcilicet*

licet magno Medico) *quod elegantiori Philiatro, præcipue qui tenuioris fortunæ esset, nec plurimis libris coëmendis sufficeret, pro justa Bibliotheca haberi posset, quia necessaria omnia contineret.* Primus *autem huius* Liber *dictam* Bibliothecam *continere debeat; in qua Cl.* Petri a Castro *vestigia in sua* Bibliotheca Medici eruditi, *sed longe alia ratione prosequi voluit, sinceriora judicia, et copiosiorem supellectilem propalaturus, usumque practicum brevissime eâdem operâ ostensurus, ut cuivis tamen diversitatem animadvertere pronum existeret* *).

2. Historia Medicorum Orientalium, *et* Idea Chronolog. Medicor. *de quâ Collectanea aliqua in Bibliotheca fuerunt inventa. Utrumque Meletema Viro Clar.* D. Henrico Meibomio *addixerat, ut aut paterni Operis eruditissimi appendicem, aut accessiunculam quampiam sui Commentarii ipse excudi curaret; si sic videretur, vel quocunque modo placeret. Nec tamen perfectum hoc Opus credi voluit, cum frustra tot annis Principum et Rerumpublicarum Bibliothecas sollicitare, Virosque doctissimos LL. Orient. peritia præcellentes ad opem ferendam implorare se, conqueratur. Quò de Tractatu quoque in Præfat.* Syllog. Observ. Medic. *plura jam olim præfatus fuerat.*

3. *Promissæ in eadem Præfatione* Faviſſæ Medicinæ sive Fragmenta Veterum Medicorum, Græcorum, Arabum, et reliquorum Orientalium, Latinorumque omnino omnia, *ut nihil iisdem deesset, quod ipse quidem tunc sciret. Cæterum incertus adhuc hæsitabat, an loca tantum, quibus le-*

*) Tum *Bibliothecam* hanc, tum sequentem *Historiam Medicorum Orientalium* typis editam optavit *Chr. Guil. Kestnerus* in *Biblioth. Medic.* ubi vide *p.* 55. *et* 27.

Digitized by Google

guntur; in proprium primo usum saltem adnotata, quæ jam præsto sunt, esse productura; vel aliorum in gratiam, ipsa etiam verba exscripturus. Qualem tractatum, uti ex sequentibus plures alios, inter Desiderata Medicinæ, *in suo* Vindiciani Somnio *reposuit.*

4. Lexicum Medicum trilingue, *ad cuius elaborationem à doctissimo* Rhodio *stimulatus jam olim fuerat. Scilicet cum Vir hic præstantissimus* Castelli Lexicum Medicum Græco-Latinum *sæpe commendasset, Arabicas autem voces a nemine adjectas doluisset,* Nostrum *exhortari cœperat, ut aliquando id præstaret. Quamvis autem tum temporis officium hoc recusasset, nunc tamen* Lexicon *illud plurimùm adauctum, Latino-Græcum, et Arabico-Persicum edere, atque ita adornare constituerat, ut alterum illud celebre* Henrici Stephani *multis post se parasangis relinquere debuisset. An vero laborem hunc aggressus fuerit, me latet. Certè, nihil de eo comparuit requirentibus. E contra adest.*

5. Compendium Medicinæ practicum, *typis pariter aptum. Cui fini non alium, quam alphabeticum morborum ordinem eligere voluit; quem olim quoque* Andreas Smizius *in* Compendio *suo secutus est. Hunc itaque et ipsi sequi placuit, ita tamen, ut affectus plures adjungeret, et remedia optima, quibus quis fidat, ex reliquis omnibus seligeret, nostræque ætatis experimenta (ut vocant) theorica et practica, non sine præmeditatione singulari, insereret. Huic addidit:*

6. Gynæcea et Prædoconicen, *scilicet* Opusculum Theodori Mayerni, *Archiatri Reginæ Angliæ, quod, luce publica dignum, hac de re MSStum. obtinuit.*

tinuit. Hoc itaque, ſed auctum et expolitum magis, proferre in animo habuit.

7. Chirurgia. *In qua inſtrumentorum notitiam, operationum perſpicuam doctrinam, et remediorum fidem ea brevitate, aut parum ſane majori, qualem in Cl.* Hornii Microtechne *plerique collaudant, tradere decreverat.*

8. Syſtema perfectum Materiæ medicæ. *Quidquid enim in* Schonbornio, Macaſio, *imo in Medicorum ſcriptis univerſis aut certe plerisque reperitur, id omne colligere et in ſyſtema redigere, ipſi curæ fuerat: quod nec perfectum dixiſſe ipſum piguit; plusquam centenos enim titulos plures continere, nimiam tamen prolixitatem, quam in aliis agnovit, non habere debuerat.*

9. Pharmaceutica. *Quo Opere Pharmacopœias omnes, quotquot hactenus prodierunt, examinare atque animadverſionibus expurgare, tum addere ſuam novamque inſtituerat. Quod jam perfectum typos expectare referunt.*

10. Cenſura Chymica. *Pulcherrimum quidem vocat Illuſtris* Rolfincii *laborem* Chymiæ in artis formam redactæ; *ſed quia multa ſigillatim non tetigiſſe videbatur, quorum vulgaris eſt jactantia et publica ſcientia eſſe debet, duo præſtare hoc Volumine voluit. Opera primùm omnia ſuccincte et Alphabeti ordine enumeraturus, deinde Cenſuram additurus, et uſum edoctus erat. Sed præter Collectanea aliqua ex aliis, in* ſextum Rolfincii librum de non Entibus, *nihil reperire licuit.*

11. Theſaurus Experientiæ Medicæ, *de quo cum ipſe in Præfat.* Sylloges Curat. et Obſerv. med. *nec non in* Epiſtola ad Magnif. Argonau-

tam, *pluribus egerit, ſupervacaneum foret, plura de eò hic proferre.*

12. Quæ ex quibus. *Hoc nomine elegantem libellum emiſit* Steph. Roderic. Caſtrenſis, *quò nomen ſuum poſteris commendavit. Quem rectè quidem a plerisque, ſed a quibusdam immodice et inconſideratè, quia contineret plures errores, laudari putavit; hunc igitur ſuis animadverſionibus et illuſtrationibus exornavit, ſpecimen daturus, præcedentis* Theſauri Experientiæ Medicæ *in uſum transferendi.*

13. Th. Actius de infirmitate, *cum notis: et*

14. Relationes Medicæ Fortunati Fidelis, *cum notis et exemplis; ſed quominus hisce manus admoveret, Fatum inhibuit.*

15. Cautiones et animadverſiones Medicæ auctæ et reformatæ. *Has primus emiſit* Ludovicus Septalius. Rhodius *analecta adjecit ex aliis. Occurrere in his nonnullas vidit* Noſter, *quas ſuperfluas et praxi non ſatis aptas, hypotheſibus quibusdam nondum probatis inniti credidit, nomine iſto ab ipſo* Rhodio, *niſi mors obſtitiſſet, reformandas et augendas. Operam itaque hanc ſuſcipere in ſe inceperat, cumprimis quia in laboris ſocietatem humaniſſime à* Rhodio *olim invitatus fuerat.*

16. Pinax Botanicus. *Operi* Bauhiniano *variarum linguarum Synonyma adſcribere, diſtorta reſtituere, omnia adcurare, et plurima ex novo Orbe ac Oriente petita adjicere, ipſi animus fuit; ſed præſtitiſſe idem, hactenus deprehendere non licuit.*

17. Zoonymia. *Corrupta in* Aldrovandinis *Operibus nomina animalium emendare; pluribus aliis, maxime orientalibus, augere; et judicia quandoque brevius concepta inſerere, in hoc libro inceperat.*

18.

Digitized by Google

18. Oryctonomia *et* Metallonymia. *Eadem hic ratio cum præcedenti militat.*

19. Medulla physico-medica. *Rerum naturam non generalibus speculationibus perspici posse, sed sensibus expositam esse, nec nisi specialibus contemplationibus capi et teneri; hanc autem nihil ab Experientia distare, ut nec istam ab accurata observatione, statuit. Cum vero horum latissimi campi sint, nec quævis terra omnia ferat, non alia perfectæ cognitionis ratio semper ipsi visa est, quam quæ ex fide dignis Historiarum naturalium et Itinerariorum scriptoribus hauritur. Opus igitur hoc* Medullæ physico-medicæ *nomine inscripsit, quam Alphabeti ordine emittere constituerat, ut illis gratificaretur, quibus non integrum est, tot libros serio evolvisse. Sed nihil de hâc* Medulla *inveniri potuit.*

20. De Scriptis medicis. *Viri Exc.* Ioh. Anton. Lindani *utilissimum de hac materia Opus emendare decreverat, adaugere, et singulis scriptis judicia sinceriora adjicere, quæ Viri doctissimi de iis tulissent, aut ipse ferenda existimavit.*

21. Conciliator Medicus. *Rejecto ob controversias exigui momenti, si nostrum seculum respiciatur,* Petri Aponensis, *similis inscriptionis, Opere: aliorum etiam, ob nimium* Galeni *amorem, et prolixitatem; ipse è contra, quæcunque controversiæ publicis scriptis agitatæ sunt, breviter conciliare, vel quid de alterutrâ aut utrâque sentiendum, paucis definire sibi proposuerat. Sed incepisse hoc ipsum, dubito; nihil sane repertum, quod huc faceret.*

22. Urocritica. *Edidisse* Hieronymum Reusnerum *scholia in* Iodocum Willichium de Urinis, *secundis etiam curis recensuisse pluribusque locis auxisse,*

xisse, in Præfat. Obſerv. medic. Hieron. Reuſneri *jam indicavit; ita ut quibusdam animadverſionibus et notis a ſe expolita (ſi expetantur) recudi queant. In* Epiſtola *vero præſente* MSta, *vel dictas curas ſecundas cum notis ſe productarum, vel (quia Auctor nimis prolixus) eundem ſe eſſe contractarum, et de ſuo præcipua additurum, notat. Sed hic etiam liber longiorem* Noſtri *vitam deſiderat, prout et ſequens.*

23. Taricheutica Medica, *ſive* Tractatus de Conditura cadaverum, *cujus Auctor modo dictus* Reuſnerus *exiſtit. Sed quia pleraque ex aliis exſcripſit, plura autem ex noſtri ſeculi hiſtoriis atque experimentis immutari addique poſſunt, notis ſuis et animadverſionibus auctum emittere ſtatuit, vel, ſi id non valde deſideraretur, tractatum duabus partibus comprehenſum dare; quorum prior* Commentarium in Herodotum de Conditura cadaverum; *altera* Condituræ medicatæ *tam vetera quam recentia* Exempla *continuiſſet. Quem etiam librum in Præfat.* Obſerv. med. Hier. Reuſneri *et* Obſerv. 200. *memorat.*

24. Zootomica. *Studium hoc a* M. A. Severino *olim tractatum, atque operâ Nob. D.* Volckameri *in lucem datum, non indignum* Noſtro *viſum fuit, quod experimentis ulterius excoleretur. Hinc, quidquid usquam de hac materiâ, propriis etiam ſectionibus ab ipſo augendâ, occurreret, congeſſit, ut aliquando publice exponere poſſet. Id quod in* Hecatoſteæ I. Obſerv. 51. *pariter præmonuit.*

25. Philomathetica. *Hoc Opere, in Præfatione ad* Hecatoſt. Obſerv. medic. phyſ. *indigitato, ſine ullo ordine, ut in mentem veniebant, conjecit omnia, quæ alicuius momenti videbantur, tam ad Naturæ cognitionem, quàm ad Medicinæ uſum, ac*

qua-

quarumvis aliarum Artium incrementum, quæ vitæ humanæ neceſſariæ, jucundæ, aut proficuæ cenſentur. Unde ſyllabi centenarii ſeptem enati, quos octavo Ægyptiorum addauxit. Ut vero hoc ſimpliciſſime enumeravit; ità breviſſimis expoſitionibus additis, quid ſibi videretur, edixit hanc ſolam ob cauſam, ut aliorum judicia venari poſſet, et ſubtiliora ingenia excitaret, quò maturis deliberationibus experimenta caperent, et Rempubl. literariam ditarent. Poſtquam enim vidiſſet, Societatem Regiam in Anglia *id laudatiſſimis conatibus jam dudum agere, et ſecutos mox* Gallos, *deinde* Italos, *et nunc quoque* Germanos *huic ſtudio incumbere, ſuas quoque cognitiones eandem ob cauſam proferre conſtituerat.*

26. Axiologa Veterum, *una cum ſequenti* Tractatu *in cit.* Præf. *memorata. Poſtquam enim multos tam avide novis inventis inhiare advertiſſet, ut præ illis antiqua fere omnia aſpernarentur, congerere quædam inceperat, quibus oſtenderet, quam multa et præclara in Vett. ſcriptis ſepulta jacerent, quæ vix uni aut alteri cognita, nullique propemodum æſtimata; ſi tamen undique eruerentur, pro novis merito haberi poſſent. Quorum hanc dedit Synopſin:* 1. Selecta Hippocratis; 2. Memorabilia Ariſtotelis; 3. Incognita Theophraſti; 4. Obſcura Galeni; 5. Ignorabilia Plinii; 6. Rariora Athenæi; 7. Memorabilia Græcorum Medicorum; 8. Neglecta Ebn Sinæ; 9. Singularia Arabum; 10. Notabilia Latinorum.

27. Variæ Lectiones de Re medica, Libb. III. in Scriptores Græcos, Arabes, Latinos, publice legi aptæ. *In primo libro Græcorum Medicorum plures locos ratione, conjectura, et MSStorum fide*

fide emendavit. Altero Arabum Medicorum Scripta corrigere et explanare instituit. Tertio pari progressu Latinos etiam excussit. Quæ omnia licet sint critica, plura tamen etiam habent, quæ ad rerum naturalium cognitionem faciunt, et praxin feliciorem respiciunt.

28. Analecta ad methodum herbariam, *nondum perfecta, in duas autem partes divisa; quarum prima tanquam in compendio variorum cogitationes et dispositiones diversas exhiberet, ad mentem nimirum* Spigelii, Sinnerti, *et aliorum plurium. Altera primas meditationes, ad plura latius extensas, contineret.*

29. Institutiones medicæ practicæ, *inter manumittendos libros referendæ. Hæ* quatuor *partibus constant,* Joh. Prævotii *dispositione; quæ seperatim quidem prodierunt, sed (quia non satis bene, nec isthoc Autoris ipsius ordine) dignas censuit, ut recudantur, notisque, ubi aliquid monendum, instruantur.*

30. De Manuscriptis medicis, *de quibus, ex Catalogis Bibliothecarum editis pariter et ineditis, conscribendum Volumen judicavit. Cui jam manum admovisse se (quamvis nihil hucusque de eo in manus venerit) largiorem tamen præ reliquis moram, antequam produci queat, deposcere monuit; quia non pauca ab ipso desiderabantur, et aliorum Virorum doctissimorum symbolas, liberaliter conferendas, prius exspectabat.*

31. Simeon Sethus de Cibariis. Græc. Arab. Lat. Cum notis. *Hunc Autorem nitidiorem sistere decreverat, collatum scilicet cum diversis Manuscriptis, in* Italia, Gallia, Anglia, *et* Germa-

nia

nia **). *Eidem verſionem etiam Arabicam cum Commentario addere; notasque ac varias lectiones, nec non* Pſellum *Græco-Latinum Bibliothecæ* Auguſtanæ *publicæ, cum Græce nunquam prodierit, ſubnectere voluerat. Sed mors præveniens ſpem hanc decollavit* ***)

32. Noni Medicina græco-latina ****) *qua de cum in Præfat. ad* Ierem. Martii Obſerv. *mentem ſuam explicarit, plura non addo, quam quod ad perficiendum illum longior ipſi vita obtingere debuit; id quod etiam de ſequenti tenendum.*

33. Hippocratis Aphoriſmi, Græc. Lat. et Arab. Cùm notis et indicibus copioſiſſimis. *Textum ſcilicet Græcum ad fidem manuſcriptorum & editorum adcurare, verſiones dein ſuas Latinam et Arabicam, notas item cum indicibus copioſiſſimis accuratisque adjicere, ſibi ſumpſerat.*

34. Erotianus, et Gal. Exegeſis, Græc. Arab. Lat. *Hîc præclarum libellum, quem olim* Henr. Stephanus *edidit, dignum judicans, verſionem quoque adjicere Latinam et Arabicam voluit.*

35. Geographia Nubienſis, Arab. Lat. Cum notis. *Hoc Opus* Arabice *Manuſcriptum* Florentiæ *in Bibliotheca* Laurentiana *repoſitum*, Romæ *quidem, ſed absque verſione editum eſt; quod itaque, in Linguam Latinam converſum, cum annotationibus neceſſariis publicare, in animo habuit.*

36.

**) Sicut Codicem *Mediolanenſem* in Bibliotheca *Ambroſiana* à *Schroeckio juniore*, in eundem finem, excuſſum fuiſſe, ſuperiùs *p.* 58. monui.

***) Confer *J. A. Fabricii Biblioth. Græc. T. X. p.* 311.

****) Confer eundem *Fabricium*, *T. XII. p.* 686.

Digitized by Google

36. Joh. Muſalenſis Praxis medica ex Arab. Lat. verſa. Cum notis. *Hanc quidem* Praxin, *cujus in* Notis *ad* Obſerv. 18. Marcelli Cumani *mentionem facit, tanti momenti haud eſſe, fatetur, ut aliis omnibus præferri queat; cùm tamen ad antiquitatis notitiam pertineat, et Reipubl. Medicæ intereſſe, ipſe putaverit (ne quid in tenebris periret, quod prodeſſe in luce poſſet) notis quibusdam expolitam daturus erat. Sed his ultimis tribus libellis manum fuiſſe admotam, quod teſtaretur, nihil comparuit.*

37. Statice. *Doctiſſimi* Sanctorii *in hac materia conatus minime contemnendos ſemper æſtimavit; hos igitur, quâ poterant, defendit; quâ non poterant, excuſavit; et quâ iterum licebat, emendavit.*

38. Magirice clinica. *In hoc libello commodas ſingulis affectibus eſcas, non ſimplices tantum, ſed etiam ad guſtum exquiſitas, veterum & recentiorum Medicorum conſenſu, adſignare, priſcique ſeculi placita noſtris moribus contemperare in animo habuit. Aſt de ipſo incepto Opere nihil conſtat.*

39. Solæciſmi et Barbariſmi officinales. *In hoc ſcripto (a proſodiacis abſtinendo) Barbariſmos tantum perſtringere propoſuit, quos quaſi communes* Diſpenſatoriis *omnibus eſſe notaverat. Nihil tamen adhucdum, quod ſciam, hac in parte fuit molitus.*

40. Inſtitutiones medicinales. *De his non aliud, quod notare velim, habeo, niſi quod nullus ex omnibus, qui* Inſtitutiones medicas *ſcripſerunt, ipſi per omnia placuerit. Hinc ſuo ſibi Marte aliquid jam dudum concinnaverat, quod deinde noſtræ ætatis experimentis, novisque repertis conforme reddidit, interpolavit, accuravit; ut nunc pleni et quaſi*

Digitized by Google

ſi perfecti Operis ideam referre poſſe, aliquando ad prælum adaptandi, exiſtimaverit.

41. Idea Apotelesmatis phyſici. *Cum* Syſtema Phyſices Joh. Sperlingii *alicubi nimis jejunum, alicubi etiam redundans, et in quibusdam imperfectum videretur, conſtituit, ideam ex cæteris quoque et recentibus ævi noſtri inventis effingere, quæ majoris Operis, ſive* Apoteleſmatis *ichnographiam repræſentaret, ab aliis poſtea exornandam. Sed imperfectam* Ideam *hanc reliquit.*

42. Vitiligines Scriptorum Medicorum expurgatæ. *Hoc Opere*, Nota *in* Obſ. II. Marc. Cumani *nominato, non tam ſimplicia, et nuda omnia exponere inſtituit; ſed phraſes integras modosque loquendi, quibus ipſa praxis continetur, et quam nemo a ſemibarbaris acceptam, multaque præclara habentem (ſi verborum puritas excipiatur) imitari poteſt, niſi illos intelligat.*

43. Pharmacopinax univerſalis. *Non hîc de modo præparandi, ſed de uſu jam præparatorum ſollicitus eſſe voluit; non tantum pulchrum jucundumque eſſe ratus, promptuarium medicamentorum ingens ad manus habere, uſibus ſuis in ſingulis affectibus accommodatum, et ſcire, quid, quoque tempore uſitari ſolitum ſit; ſed utile quoque, ſi quandoque neceſſitas ingruat, et ſi quis ſciat, rebus præſentibus ex tempore aptare.*

44. Medicina noſtro ſæculo adaptanda. *Oſtendere nimirum decreverat, quæ ipſi placeant, aut diſpliceant; et quomodo refingenda atque expolienda aut emendanda ipſe putaverit. Verum de hoc Tractatu, et præcedentibus duobus nihil fuit repertum.*

45. Cantica Ebn Sinæ. Arab. Lat. *Hæc ex Latina* Deuſingii *Verſione fecit Arabica; quorum men-*

Digitized by Google

mentio fit in Addendis ad Exercit. de Venâ Medin. *pag.* 344.

46. Horticultura. *De hac primus, ut Arte quadam, egit* Petr. Laurembergius, *et* Apparatus *deinde* plantarios, *eiusdem fere argumenti, dedit. Culturam florum singulari Opere prosequutus est* Joh. Bapt. Ferrarius, *et Citriarum arbuscularum in* Hesperidibus *suis; sed quæ specialem tantum illius partem nobis explicaret. Vulgari sermone et linguis vernaculis idem argumentum tractaverant Hortulani quidam; sed quia plerique idiotæ fuerunt, nihil fere eruditis auribus dignum attulerunt. Quorum consideratione,* Velschio *semper visum est, hac in re plurima desiderari posse. Quæ vero optabat, paulatim ipse conscribere cœpit, ut aliquando perficeret; quorum idcirco ideam saltem daturus erat, ut alii prosequerentur et absolverent.*

47. Dissertatio de Viscis plantarum, *quâ plantarum naturam in aliis excrescentium indagare voluit.*

48. Dissertatio de Cerumine. *Inter omnia humani corporis excrementa (sive inutilia plane fuerint, sive utilia) semper hoc ipsum majoris, quàm vulgò putant, considerationis esse existimans, de eò aliquid differere mens ipsi fuit.*

49. Lutrologia. *Quod argumentum in Præfat.* Sylloges Observ. Med. *jam protulit. Scilicet recensenda sibi sumserat, ad Alphabeti ordinem, Thermarum omnium nomina et naturam, adsignaturus etiam suas singulis affectibus; ut iis commodè uti possent, qui praxi se addicunt. De quibus tamen tribus libellis nihil quicquam oculis sese exhibuit.*

50. Pinacotheca Guetiana. *Cujus quidem nihil hodie supereſt, cum belli superioris injuriâ di-*

strac-

Digitized by Google

ſtracta fuerit. Quia tamen præſtantiſſima omnia continuit, aliis nunquam viſa aut audita, et perfectam ſciagraphiam Pinacothecæ *inſtituendæ exhibere poteſt, operæ pretium judicavit* Noſter, *publice deſcriptionem ejus exponere.*

51. LIPSIUS de Bibliothecis. Cum notis, auctior. *Cui materiæ affinitate, copioſum Catalogum Bibliothecarum et Pinacothecarum præſtantiorum adjunxit. Quem librum typis maturum reliquit.*

52. LIPSIUS de Epiſtolis. Cum Notis, auctior; *quarum uſum in praxi etiam, et plerisque linguis, præter Romanam, aliis oſtenſurus erat; ſed unà cum duobus ſeqq. libb. imperfectus remanſit.*

53. LIPSIUS de Re Nummaria. Cum Notis, auctior. *Ille, à Cl.* Rhodio *non ſine applauſu productus,* Velſchio *non undique placuit. Præter Romanorum Rem nummariam, quâ de ille tantum agit, ipſi* Græcorum *etiam,* Hebræorum, Syrorum, Perſarum, Arabum, *aliarumque Gentium monetas adjungere aptum viſum fuit.*

54. Bibliographia politica. *Hunc* Gabrielis Naudæi *laborem, cùm alicubi minus perfectus, minusque commodus videretur, auctiorem reddere et judicia ſinceriora, quorum pleraque ipſe aut præterierit, aut certe nec viderit, adjicere ſtatuerat.*

55. De Studio liberali. *Idem* Naudæus *de iſthoc libellum edidit egregium. Meliorem tamen et quem ſequi facilius erat,* Noſter *elaboravit.*

56. Sermones fideles de Modo legendi et excerpendi. *Relictâ de hac materia* Ieremiæ Drexelii *a) tanquam laborioſâ, prolixâ ac tædioſâ diligen-*

a) Hujus merita fuſe deſcripta habes in *Alphabeto II.* præſentis *Bibliothecæ Auguſtanæ.*

gentiâ, ipſe doctiſſimorum Virorum familiaritate uſus, ſedulo obſervavit, quô pactô ad tantas eruditionis opes perveniſſent. Ex horum igitur notatis et excerptis, quæ commodiſſima viſa, utili mixturâ conjungere libuit.

57. Idea Operis Adagiorum panglotti. *Cùm* Eraſmi Chiliades *multa contineant, quæ ſententiæ veriùs ſunt quam adagia, et præterea mole ſua laborent, ipſe his emaculatis, quomodo reliqua adjungi poſſe putet, edicere, ipſamque adeò* Ideam, *ab aliis dein perficiendam repræſentare voluit.*

58. Monumenta Auguſtana Vindelica. *Diſtractis jamdudum horum exemplaribus, digniſſimis tamen quæ recudantur, ipſi nonnulla addere curæ fuit, quæ Illuſtris quondam* Marcus Welſerus *fatô abreptus vidiſſe non potuit; quia ſerius eruta et cognita fuerunt b). Aſi de his quoque tribus poſterioribus libris nihil nobis conſtat.*

59. Bellum Trajani utrumque Dacicum. *Hujus mentionem facit in* Exercitat. de Vena Medinenſi. *Libros duos continet carmine deſcriptos, quibus breviculas adnotationes adjecit.*

60. Religio Medici. Argentorati. Apud Spoor. 1677. *in* 8. *Libellum, hoc nomine à* Thoma Broune *conſcriptum, abſonum, atque monſtroſi ingenii infelicem partum, ad Atheiſmum remis velisque omnibus properantem, adpellavit. Cui ergo ſe oppoſuit, et ut noxium, impium, atheum, et ab omnibus cujuscunque fere Religionis eſſent (ſi modo chriſtianam fidem profiterentur) damnandum improbavit.*

61.

b) Vide, quæ in hanc rem moneo in *Alphabeto II. Bibliothecæ Auguſtanæ, pag.* 215. 216.

Digitized by Google

61. Notitia juris univerſi, divini, naturalis, publici, civilis, et canonici. *Jurisprudentiæ ſtudio, cujus cognitione ſolidiori virum eruditum et ſapientem carere non poſſe, perſuaſus erat, haud parum temporis ſe dediſſe, ſcribit. Unde quinque his partibus univerſum jus comprehendi poſſe, exiſtimaverat. Et de* Divino *quidem, quod Hebræorum vocant, plures cum egerint, judicium iis adhibere;* Naturale *autem, quod Gentium quoque eſt, variabile exemplis oſtendere, et (quod plerisque ICtis hucusque neglectum) ex Orientalium ſcriptis, jus quoque illorum in compendium redigere;* nec Publicum *præterire voluit, quod multis utique jam dictum, ſed nondum ad mentem ſuam, deprehendit. In* civili *autem* Jacobi Gottofredi Manuale *augendum, et alicubi etiam emendandum ſibi propoſuit. A* Canonici *autem* Compendio, *quod* Caniſius *dedit, ſuperflua et inutilia omnia, et quæ auguſtiſſimo Cæſareo contraria ſunt, reſecare atque delere conſtituerat; ſed, quantum conſtat, non perfecit.*

62. Pædia in cycliſmo. *Occaſione* Encyclopædiæ *a* Joh. Henrico Alſtedio *conſcriptæ, proficuum maxime reputavit, ſi quis ejusmodi inſtitutum, reſectis inutilibus omnibus et prolixis inſcriptionibus omiſſis, proſequeretur: Orbique litterato aliquando non latius diffuſam* ἐν κύκλῳ παιδίαν *repræſentaret, ſed nervoſius contractam atque exaſciatam exhiberet* παιδίαν ἐν κυκλίσμῳ, *non tam novè, quàm modeſtè inſcriptam. Hinc ipſe multa etiam hac de re meditari cœpit. Aliquando igitur hanc daturus erat, conſilium, in longe minori Opere, multò majus* Alſtediano *ſibi fuiſſe, ipſo Opere demonſtraturus. Nec etiam Artes populares omittere*

animus erat, nec inſtitutiones Grammatices omnium Linguarum, maxime Orientalium, Pangrammatices *nomine eas complectens:* Pantechnices *quoque nomine Artes omnino comprehenſurus, cum iſtarum omnium commoda, arcana,* ἐγκυκλίους *(quantùm poterat) explorare conatus fuerit. Quibus etiam* Emporeticen, Alſtedio *neglectam, aliasque ſimiles,* Politices *non minus, quam* Oeconomices *ſoboles ac ſocias adjungere conſtituerat, non minus etiam* Stratioticen, *ejus partes et ſimiles quasdam alias. Sed unà cum ſequenti Opus hoc imperfectum reliquit.*

63. Notitia Auctorum panglotta. *Mens hîc fuerat in ſingulis Linguarum generibus veteres tantum et probatos Autores, atque in cæteris meliores non ſaltem nominare, ſed et præſtantiores editiones indicare, et de ſcriptis ipſis judicia ferre. Cujus facti initium* Ger. Joh. Voſſius *ipſi ſuggeſſerat, qui tale quid olim coeperat, amicisque et auditoribus diſtribuerat. A quibus ipſe quoque acceptum plurimùm deinde auxit, Græcis et Latinis Orientales quoque et LL. omnes addendo.*

64. Idea Antiquitatum, *ſive* Conſilium de Antiquitatum Opere conſcribendo. *De his quamvis plurimi olim ſcripſerint, plura tamen falſa, ſuppoſititia, abſona et imperfecta continere judicans, et in exemplum materiam* de Re veſtiaria *producens;* (*qua de nimirùm nemo unquam rectè ſcripſerit, antequam Nobil.* Ferrarius *id argumentum doctiſſime pertractaſſet*) *talia plurima etiamnum neglecta jacere pronunciavit, Quæ tamen expolienda, in ſe ſuſcipere noluit, Ideam ſaltem daturus, ipſo ſyſtemate ab aliis perficiendo. Cui Operi præclariſſima omnia concedere, et quaſi animam quam optime et benigniſſime inſpirare poſſe Illuſtr. Equitem* Carolum

lum Antonium a Puteo, *Romanum, mônuit: ut pote nunquam ſatis laudati Dn. Fratris ſui* Caſſiani *hæredem librorum, in quibus, præſtantiſſimorum Pictorum operâ, immenſis ſumtibus* Antiquitates *omnes depingi curaverat, plerasque eâ (quâ erant) magnitudine, cæteras majores ad leges Geometricas ſuis pedibus dimenſas. Sed promiſſæ* Ideæ *hujus nullum reperiri potuit veſtigium.*

Hactenus SCHROECKIUS — Ego, quæ addam, pauca habeo. Sunt vero ſequentia:

I. *Matthiæ* MORONI *Directorium medico-practicum, ſive præternaturalium affectuum, tum diſtinctorum tum implicatorum (de quibus peculiares exſtant graviſſimorum Virorum Conſultationes, Epiſtolæ &c.) Indices duos* multis modis adauxiſſe ſe et emendaſſe, WELSCHIUS ipſe prodit in *Præfat.* ad *Syllogen Curationum & Obſervat. medicin. p.* 6. 7. Confer, ſi lubet, *Keſtneri Biblioth. medic. p.* 52. 53. De reliquo hic labor maxime ad *Theſaurum Experientiæ medicæ* â *Noſtro* meditatum referri debet. Vide *ſupra, p.* 141. & *p.* 151.

II. *Variorum ſuorum* Collectionem meditatus eſt *Noſter*, de quibus in *Præfat.* ad *Ieremiæ Martii Obſerv. medic.* meminit, dicens: ſe, quæ in *Noni* græci Medici editione, abs *Martio* curata, ſupplenda & emendanda detexerat, in *Variis ſuis* allaturum eſſe: aut in nova *Noni* editione propoſiturum.

Meditata Noſtri ſunt.

Præter Opera, quæ *Noſter* in *Epiſtola de Scriptis ſuis* annô 1674. exarata ſe editurum promiſerat, alia inſuper meditatus eſt, aut etiam in-

choaverat, quorum Catalogum in ſuo *Somnio Vindiciani* biennio poſt (1676.) typis vulgato deſcripſit. Sed illa nondum promittere voluit, multas ob cauſſas aliis temporibus et maturiori deliberationi eadem ſervans. Sunt autem:

1. *Praxis Hippocratica, quà affectus et quà remedia, ex Hippocratis ſcriptis concinnata.* 2. *Praxis Galenica, ex Galeni libris excerpta et adornata.* 3. *Diſſertatio de Inventoribus medicamentorum.* 4. *Diſſertatio de Monſtris herbariis.* 5. *De Arthritide ejusque cauſſa et curatione, Cogitationes novæ: et de dolore in univerſum, ejusque cauſſa Paradoxum.* 6. *De Morbis Plantarum et brutorum Animalium, ad Diæteticen.* 7. *De iis, quæ nondum ſatis comperta ſunt in Medicina.* 8. *De iis, quorum nulla cauſſa reddi poteſt in Medicina.* 9. *De Veſtimentis, quà ſanitati proſunt aut obſunt; ſive Endyematice medicinalis.* 10. *De Singularibus locorum ad Medicinæ uſus, ſive Chorographia medica.* 11. *De Modo, nova experimenta faciendi in Medicina.* 12. *De menſuris et ponderibus Orientalium.* 13. *Diſſertatio nova, quâ Veterum placita de Theriacis novâ methodo exponuntur.* 14. *Apologia contra* Ebn Sinæ *calumniatores.* 15. *Philoſophia ſacra* Valleſiana *uberior et multo accuratior.* 16. *Exercitationes ſucciſivæ in* Helmontii *Opera univerſa.* 17. *Paralipomena hiſtoriæ animalium.* 18. *Ritualium libri, ex voto* Juſti Lipſii. 19. *De pia et erudita ſolitudine Libri II. Accedit Diſſertatio ad* Bar. à V. *de vita ſolitaria.* 20. Vict. Trincavellii *Comm. in Gal. de comp. Med. ſ. l. cum adnotationibus breviculis.* 21. *Diſſertatio de Societate converſionis Infidelium ad* Bar. I. à V. 22. *Diſſerta-*

ſertatio de Collegio Samaritano nuperrime cæpto. 23. *Examen hypotheſium medicarum, quæ nondum ſatis adſertæ.* 24. *Diſſertatio de medicamentis theriacis.* 25. *Coſmetices Libri II. Veterum ſcilicet et Recentiorum.* 26. *Coronalia Vett. reſtituta.* 27. *Arcanorum Myrepſicorum Libri II. Vet. et Rec.* 28. *Diſſertatio de Diariis noſocomicis.* 29. *Diſſert. de Idea Clinices veteris et novæ, in artem redigendæ.* 30. *Diſſert. de Cteniatrice in artem redigenda, cum auctario exemplorum.* 31. *Scopuli Latinitatis, quos* à Cl. Rhodio *quondam acceptos diſpoſui, et plusquam altero tanto adauxi, inſerui etiam compendium gloſſematum Lat. Sermonis ex* Voſſio *accuratè conſcriptum.* 32. *Medulla critica, in qua tam ex Codd. MSS. quam libris editis meliorum Authorum variæ lectiones et emendationes tanquam in compendio exhibentur.* 33. *De Medicis illuſtribus Auguſtanis Commentarius.* 34. *Animadverſiones liberæ in* Hoffmanni *libros de Medicamentis officinalibus.* 35. *Exercitationes in Carteſium de paſſionibus animæ.* 36. *Adnotationes in Hippocratis Scripta univerſa.* 37. *Trutina imbris aurei* Petri à Caſtro. 38. *Exercitationes in* Gèberi *Alchemiam.* 39. *Diſſertatio de Societate Iatrocritica inſtituenda.* 40. *Aſtronomia, modernis obſervationibus expolita, ad Medicinæ uſum directa.* 41. *Diſſertatio de Semiotices emendatione.* 42. *Meditationes de Euthanaſia Baconis Verulamii.* 43. *Diſputatio de hyperemeria Med. præſidiis procuranda.* 44. *Primæ cogitationes, de incurabilibus, ſecundis perficiendæ.* 45. *Sciagraphia organices medicinalis.* 46. *Adſertiones Therapeutici univerſalis.* 47. *Grylli medicinales, i. e. Narrationes jucundæ de reſtituendis veteribus, et excolendis novis quibusdam in*

Medicina. 48. *Elenchi phytologici, ſive de plantarum inventionibus falſò jactatis.* 49. *Diſſertatio de ſubſtitutione Medicamentorum.* 50. *Diſquiſitio de Remediis injuriâ, falſò et merito, ſuſpectis; Accedit altera de transplantatione morborum, funditus everſa.* 51. *Diſſertatio de Cachunde Indico Orient. contra Zacutum Luſitanum.* 52. *Diſſertatio de Chocolate Americano ad* Calderam *et Cardinalem* Brancatium. 53. *Exercitatio chemiatrica de Tincturis medicinalibus, earumque uſu interno et externo.* 54. *Diſceptationes miſcellaneæ de Medicamentis hæmagogis.* 55. *Paradoxa philoſ. medica, quæ animi gratiâ libere proponuntur.* 56. *Paradoxa philoſ. medica, quæ contra aliorum ſententiam ſeriò adſeruntur.* 57. *De ſuperſtitionibus medicinalibus abrogandis Conſilium medico-politicum.* 58. *Hiſtoria litteraria Turcarum ex Mſto. CPto.* Steph. Gerlachii, *in Præfatione Commentarii in* Ruzname Naurus *promiſſa. In hac elaboranda ultimos vitæ dies conſumſit* Noſter *c*), *nec tamen perficere omni-*

c) De hoc Opere ſic ſcribit *J. G. Schelhornius* in *Amœnit. litterar. T. XIII. pag.* 255. „ Omnem rem „ litterariam Turcarum egregie felici fœcundoque *Vel-* „ *ſchii* calamo illuſtratam haberemus, niſi bibliopolæ ac „ typographi Operi, cedrò digno, obſtetricantes manus „ ferre hactenus recuſaſſent. En tibi libri titulum, ceu „ triſtem e naufragio tabulam, ut ex hoc ungue leo- „ nem aliquatenus agnoſcas: *Georg. Hieron. Welſchii* „ *Hiſtoria litteraria Turcarum, in qua ex MSS. Con-* „ *ſtantinopolitano agitur de inſtitutione ipſorum puerili,* „ *de ſtudiis gymnaſticis et academicis, ſacris, profanis,* „ *theologicis, ſcholaſticis, juridicis, medicis, mathemati-* „ *cis, aſtrologicis, ſtipendiis, item honoribus, præmiis,* „ *exercitiis ſpiritualibus, et gradibus perfectionis. Præ-* „ *mittuntur nonnulla ad Script. vet. pertinentia, quibus* „ *ſingu-*

omnino potuit. 59. *De indubia ratione Medicinam reformandi, reſtituendi, et exaltandi, Meditationes theologicæ, juridicæ, medicæ, & politicæ.* 60. *Gryphi medicinales.* 61. *Deperdita Medicinæ.* 62. *Examen Magiæ naturalis vulgò dictæ, quò nullam eſſe evincitur.* 63. *De Obſervationibus Medicorum contrariis Exercitatio.* 64. *Relatio hiſtorica medico-politica de Medicina Sinenſium.* 65. *De Pharmaciæ exactiſſima emendatione, ſine ulla gravi reformatione, Diſcurſus politico-medicus.* 66. *De impenetrabili Ingenii humani receſſu ejusque arcanis, laude aut vituperio dignis.* 67. *De medicamentorum compoſitorum Delectu Monita ſingularia.* 68. *Admiranda Naturæ, ſive Obſervationes microſcopicæ meæ.* 69. *Obſervationes phytotomicæ novæ.* 70. *Non entia chemica* Utis *ſive* Anonymi, *cum notis et animadverſionibus meis.* 71. *Chemica inaudita, in ſyllogen collecta et ſuccincte enucleata.* 72. *De Medicina* Paracelſi *et Medicamentis eiusdem Exercitatio nova.* 73. *Apodemice politica medica.* 74. *Animadverſiones in* Helvici *Chronologiam.* 75. Thomæ Campanellæ *Liber de Magia, nunquam editus, ex MSS. cum notis et animadverſ. meis.* 76. *Epiſtolæ* Achillis Gaſſeri *d*), *in quibus*

 litte-

„ *ſingula illuſtrantur, et plura etiam adjiciuntur de pre-*
„ *cibus illorum, orationibus, libris, bibliothecis, poema-*
„ *tibus, inſcriptionibus, numiſmatibus, aliisque ad litte-*
„ *ras pertinentibus, quorum pleraque antiquioribus confe-*
„ *runtur.*“ Conſule *Rud. Mart. Meelführeri Acceſſiones ad Almelooven Biblioth. promiſſ. et latent.* pag. 122. cujus in calce extat *Sciagraphia* Operis defideratiſſimi, quod e Bibliotheca *Spizeliana* divulgare decreverat *Matth. Frid. Beckius.*

d) De his *Epiſtolis* monui in *Alphabeto VIII. Biblioth. Auguſt. p.* 113.

Digitized by Google

litteræ Regum, Principum, Rerumpublicarum, doctorum Virorum et Medicorum, de rebus phyſicis, politicis, mathematicis et medicis ex autographo edendæ. 77. Angeli Viſcæi Taurinenſis *de ulceribus Tractatus, ex MSS. cum not. et animad. meis.* 78. Laur. Spaccii *Aphoriſmi Hippocr. carmine redditi, cum Supplemento meo; quia ipſe non abſolvit.* 79. G. Scioppii *Pædia, ſive Catalogus Librorum ex MSS. ductus, cum breviſſ. Adnotationibus meis.* 80. *Hortus Patavinus, ut erat tempore* Veſlingii, *cum adnotat. ex lectionibus ejusdem, in quibus multa rara, quâ eruditionem: et multa utilia, quâ vires et praxin medicam.* 81. *Auguſtana ab A.* 1550. *usque ad A.* 1674. *Epidemia e) et Ephemerides noſtræ* 18. *annorum, curationes aliquot mille et conſilia continentes.* 82. Joh. Georg. Virſungi *f) libellus de V. S. cum adnotat. et animadverſ. meis ad circulationem ſanguinis expoſitis.* 83. *De Inſtrumentis mathematicis, veteribus & novis, variarum gentium, Narrationes hiſtoricæ.* 84. *Exempla et inſtructiones pharmacothecarum pro Viris illuſtribus.* 85. *Florilegium ſententiarum ex veteribus Authoribus et Scriptoribus recentioribus.* 86. *Flores illuſtrium Poetarum Vett. & Recent.* 87. *Anamneſtica hodœporica, vel Obſervationes miſcellaneæ med. chem. Illuſtrium Virorum, per itinera collectæ.* 88. *Pretioſæ memoriæ deliciæ, quas Arabice conſcripſi g) et inſcripſi, in quibus deſcripti labores mei, et medica politica ac artificioſa plurima, quorum uſus eſſe poteſt, non tantum ad Medicinam, ſed etiam ad honeſtam*

e) De *hac* vide ſupra, *pag.* 146.

f) De *J. G. Virſungio* egi in *Alphabeto VIII.* ubi vide *p.* 138.

g) Vide ſuperius *p.* 128.

Digitized by Google

neſtam voluptatem, et rempublicam atque familiarem exaugendam. 89. *Ars critica*, Scioppianâ *brevior et auctior et accuratior, quæ per omne Scriptorum genus et linguas omnes ſe diffundit.* 90. *Architectonice, ad circulum et regulam Albertinam, exacta*: cum fig. *Arabice et Italice delineata.* 91. *Honores Calligraphiæ, ſive Commentariolus de varietate chartarum, ſcripturarum, et typorum, in quo multa rariora et vulgò incognita recenſentur h) et revelantur.* 92. *Otium litterarium, quò curioſa plurima fabulari ſtylò enumerantur.* 93. Petancius *de Itineribus in Turciam, ex MSSto. recuſus, cum adnot. noſtris; et magni* Gruberi *Hiſtoria de Imperatoribus Turcarum Othmanidis.* 94. *Pelagus Latinitatis, in quo ex melioribus Scriptoribus elegantiæ corrivatæ, oppoſitum et appoſitum ſcopulis, de quibus ſupra.* 95. *Iatronomaſticum Orientale, in quò medicinalia vocàbula Hebraica, Syriaca, Chaldaica, Arabica, Turcica, Perſica, Armenica, Samaritana, Æthiopica, Iberica, Coptica, Tartarica, Sinenſia, Iaponica, Indica et Malabarica exponuntur.* 96. *Vacationes æſtivæ, in quibus experimenta quædam mechanica deſcribuntur et pinguntur.* 97. *Feriæ brumales, quibus rariora quædam ad Mettallurgiam pertinentia, in Dialogo tanquam ad focum pernoctantium, recenſentur.* 98. *Digreſſiones auctumnales in officinas variorum Artificum, quibus nonnulla arcana illarum minusque cognita enarrantur.* 99. *Adnotationes in Vetus Teſtam. Hebr. edit. à* Janſonio *ex recenſione* Menaſſe Ben Iſraël. 100. *Adnotationes in Nov. Teſtam. Græce edit. à* Jo. Henrico Boeclero *ex perantiquo CPo.* Gerlachii

h) Confer, ſi lubet, GUNDLING *Hiſtorie der Gelehrtheit, p. 291. Nota (eee)*

chii *Codice MSS. In quorum utroque non tantum parallela loca ad genuinum intellectum, ſed etiam philologica ex omnium fere LL. paraphraſibus, aliisque Authoribus præſtantioribus et Antiquitatis monumentis adnotata i). Hoc vero Opus, ut nobis ſemper primum inter reliqua ſtudia fuit, atque etiam nunc quotidianum eſt, ultimo loco commemoravimus, et ultimo aliquando proferre cogitamus; quia id etiam ultimum nobis exoptamus, quò calamum et vitam aliquando ponere liceat; ut ita hisce omnibus Divinâ gratiâ deſideratus tandem accedat finis, ad quem etiam ipſe præſentem hunc laborem jam deducam* — Haſtenus ex SCHROECKIO. —

Liceat jam mihi addere *J. G. Schelhornii*, in *Amœnit. litter. T. XIII. p.* 250. de his Scriptis omnibus judicium: *Non jactantius tot bonæ frugis libros ab eo promiſſos eſſe, exiſtimandum eſt. Haud pauci enim, iique præſtantiſſimi, ad umbilicum fere perducti erant: et reliquos, niſi fata ſuprema ejus turbaſſent circulos, Vir otio litterario abundans, ſolitudinis ſectator, & in continuo ſeceſſu vivens, tantis præterea dotibus ornatus, facile ſenſim perficere potuiſſet.*

Quod ſi ex me ſciſciteris: quorſum hi omnes devenerint, nil aptius habeo, quod reponam, quam maximam illorum partem (videlicet 50. circiter *Volumina*) abs *Theophilo Spizelio* poſſeſſam fuiſſe, prout *Catalogus Bibliothecæ Spizelianæ*, in *fol.* excuſus, *ad calcem* diſſertè teſtatur; quem curioſus Lector diligenter luſtret, velim. Quosdam etiam in Bibliothecam *Matth. Frid. Beckii* translatos fuiſſe, tum *Meelführerus* in *Acceſſion. ad Almelooven Bibl. lat.* monet: tum ea, quæ *p.* 169. memoravi, declarant.

i) Confer LE LONG *Bibliotheca ſacra*, in 4.

Digitized by Google

Quid jam de *Epiſtolis* Noſtri *anecdotis* dicam? Has *Arnholdius* in *Biblioth. Epiſtol.* & *Wolfius* in *Supellect. epiſtol.* memorant — Satis eſt —

* * *

Pro coronide addo elenchum *Epiſtolarum ad Welſchio Viris illuſtribus deſtinatarum, ſed morte Auctoris ſimul extinctarum*, pergendo à *N. XIII.* usque ad *N. LXX.* Quare et, quod ſupra *p.* 147. promiſi, implebitur: et *Catalogo* tum *editorum*, tum *ineditorum*, tum *meditatorum* Noſtri *Operum* paulo major lux affundetur.

N. XIII. Illuſtri Viro Octavio Ferrario, Equiti S. Marci. *MSS. Bibliothecæ Ambroſianæ Mediolanenſis.*

N. XIV. Illuſtri Viro Petro Lambecio Conſiliario cæſareo & Biblioth. Auguſt. Præfecto. *Simeonis Sethi MSSta. Græce. Cum Notis & Commentariis k).*

N. XV. Illuſtri Viro Antonio Magliabechio, SS. Principis M. Ducis Etruriæ, Bibliothecæ Præfecto, Florentiæ. *Variæ Lectiones de Re medica, Arabicè & Latine* *).

N. XVI. Viro illuſtr. Jo. Michaeli Fehrio, inclutæ Academiæ Naturæ Curioſ. in Germania Præſidi. *Epiſtolæ Neſtoris et Theſaurus Experient. Medicæ l).*

N. XVII. Nobil. et Excell. Viro Henrico Meibomio Medicinæ Profeſſori in Academia Julia. *Hiſtoria Medicorum Orientalium m).*

N. XVIII.

k) Vide ſuperius in *Schroeckio jun. p.* 58. Item inter *Inedita Noſtri, n.* 3.

*) Vide inter *Inedita* Noſtri, *n.* 27.

l) Vide inter *Edita Noſtri, N. X.*

m) Vide inter *Inedita Noſtri, n.* 2.

Digitized by Google

N. XVIII. Illuſtr. et Excell. V. Carolo Patino Med. Profeſſori Patavino. *Faviſſæ Medicinæ n).*

N. XIX. Nobiliſſ. et Excell. V. Jo. Matthæo Fabro, Seren. Principis Friderici Ducis Wirtenbergiæ et Montisbeligardi Archiatro, Poliatro Heilbronnenſi. *Obſervationes ad Strychnomaniam o).*

N. XX. Nobil. et Excell. V. Chriſt. Ravio, LL. Orient. et Chronol. ſacræ Profeſſori Francofurti ad Viadrum. *Corani Editio, et Miſſa. Orientalia.*

N. XXI. Nobil. et Ampliſſ. V. Andreæ Müllero, Præpoſito Berolinenſi. *Sinenſium Res literaria: et Medicina Botanica p).*

N. XXII. Nobil. et Excell. V. Jo. Sigismundo Elsholtio, Archiatro Electorali Brandenburgico et Poliatro Berolinenſi. *Phoſphori varii Naturales, et Arte facti.*

N. XXIII. Nobil. Excell. V. Petro Kirſtenio, Poliatro Hamburgenſi. *Maſullika et Nepenthe Turcarum.*

N. XXIV. Nobill. et Excell. V. Henrico van der Linden, Poliatro Amſtelodamenſi. *Scripta Medica q).*

N. XXV. Nobil. et Excell. V. Jo. Danieli Majori, Med. Profeſſori Chilonienſi. *Pinacothecæ r).*

N. XXVI.

n) Vide inter *Inedita Noſtri*, *n.* 3.
o) Vide inter *Edita Noſtri*, *n.* 9.
p) De *Medicina Sinenſium* vide inter *Meditata*, *n.* 64.
q) Vide inter *Inedita*, *n.* 20.
r) Vide inter *Inedita Noſtri*, *n.* 50.

Digitized by Google

N. XXVI. Illuſtr. et Excell. V. Jo. Georgio Volcamero, Archiatro Norico. *Nicolai Myrepſæ s) Mſſ. et Caſp. Hofmanni Galen.*

N. XXVII. Rev. et Clariſ. V. Aproſio Ventimigliæ, Ord Auguſt. Præſuli Genuenſi. *Philoſophia ſacra Valleſiana et Vecchiana t).*

N. XXVIII. Rev. et Clar. V. Cæleſtino de S. Liduina, Carmelitæ, LL. Orient. peritiſſimo. *Hiſtoria Clilæ et Dimnæ Mſſta, Gr. et Arab. Perſ. Amores Medſphuani et Leilæ Arab. verſ.*

N. XXIX. Rev. et Celeberrimo V. Athanaſio Kirchero, S. J. Polyglotto incomparabili. *Commendatitiæ datæ Grammano. Arab. et Magne ejusdem.*

N. XXX. Illuſt. et Excell. V. Thomæ Bartholino, Profeſſori Regio Hafnienſi. *Societas Danica Iatrocritica inſtituenda.*

N. XXXI. Nobil. et Excell. V. Jo. Hartmanno Grammano, Archiatro Megalopolitano. *Obſervationes propriæ.*

N. XXXII. Nobil. et Excell. V. Jo. Ludovico Jobſtio, Archiatro Salisburgenſi et Metallorum Præfecto. *Metallurgica u).*

N. XXXIII. Nobil. et Excell. V. Davidi Spilembergio, Poliatro et Dycaſtæ Laſcovienſi Hungaro. *Rariora quædam Mineralia donata.*

N. XXXIV. Nobil. et Excel. V. Godofredo Velſchio, Archiatro et Profeſſori Lipſienſi. *Traumatoſcopia Reuſneriana.*

N. XXXV.

s) Vide inter *Meditata*, *n.* 27.
t) Vide inter *Meditata Noſtri*, *n.* 15.
u) Vide inter *Meditata*, *n.* 97.

Digitized by Google

N. XXXV. Nobil. et Excell. V. Georgio Franco Med. Profeſſori Heidelbergenſi Palatino. *Vindemia Medicinalis, ſive Paradoxa Medica x).*

N. XXXVI. Nobil. et Ampl. V. Pfiſtero, Ser. Principis Elect. Bavariæ Biblioth. Præfecto. *Fata Litteraria.*

N. XXXVII. Nobil. et Excell. V. Carolo Ofredo Medico celeberrimo. *Septalii Cautiones et Analecta Rhodii y).*

N. XXXIIX. Nobil. et Excell. V. Ludovico Hannemanno, Med. Profeſſori Chilonienſi. *Quæſita per Epiſtolas.*

N. XXXIX. Nobiliſſ. et Excell. V. Franc. Ignatio Thiermajero, Archiatro Elect. Bavarico. *Honores Medicinæ: Threnodia Medica.*

N. XL. Nobil. et Excell. V. Jo. Jacobo Wepfero, Poliatro Scaphuſiano. *Anatomica, Zootomica, Phytotomica varia z).*

N. XLI. Nobil. et Excell. V. Michaeli Sennerto, Med. Profeſſori Witebergenſi. *Methodus Medendi Walæana a).*

N. XLII. Rev. et Ampl. V. Juſto Jacobo Leibnizio, Sacrorum Antiſtiti, et Bibliothecæ Noribergenſis Præfecto. *Aſtrolabium Noricum. Religio Medica Brouniana b).*

N. XLIII. Rev. et Ampl. V. Jo. Sauberto, Theologo et Profeſſori Helmæſt. et Norico. *Serpens æneus Boſcæ.*

N. XLIV.

x) Vide inter *Meditata, n.* 55.

y) Vide inter *Inedita Noſtri, n.* 15.

z) De *Zootomicis* vide inter *Inedita Noſtri, n.* 24. De *Phytotomicis* vide inter *Meditata Noſtri, n.* 69.

a) Vide inter *Edita Noſtri, N. XII.*

b) De *Religione Brouniana* vide inter *Inedita, n.* 60.

Digitized by Google

N. XLIV. Nobil. et Excell. V. Georgio Abrah. Mercklino, Poliatro Noribergenſi. *Metallage Morborum.*

N. XLV. Nobil. et Excell. V. Franc. Chriſtiano Paullino Poliatro Corbejenſi. *Itineraria et Notabilia Itinerum.*

N. XLVI. Nobil. et Excell. V. Jo. Wolfgango Wedelio, Archiatro Saxonico et Profeſſori Jenenſi. *Pharmaceutica c).*

N. XLVII. Nobil. et Excell. V. Jo. Friſchmutho, LL. Orient. Profeſſori Jenenſi. *Studium Linguæ Cyrillianæ et Armenicæ. Geographia Abulfedæz à Thevenotio promiſſa c. mappis d).*

N. XLVIII. Nobil. et Excell. V. Jo. Theodoro Schenkio, Med. Profeſſori Jenenſi. *Rariora de Ægagropilis noviter comperta e).*

N. XLIX. Nobil. et Excell. V. Frid. Chriſt. Garmanno, Poliatro Chemnicenſi. *Monſtra plantaria.*

N. L. Nobil. et Excell. V. Gothofredo Tileſio, Poliatro Vratislavienſi. *Arcana Medica Vett. et Recentior.*

N. LI. Nobil. et Excell. V. Jo. Tilemanno, Med. Profeſſori olim Marpurgenſi, deinde Wirceburgenſi, nunc Medico Bernenſi in Helvetia celeberrimo. *Pandectæ Medicinæ.*

N. LII. Nobil. et Clariſſ. V. Jacobo Gronovio, olim Eloquentiæ Profeſſori Piſano in Etruria, nunc Daventrienſi in Belgio. *Locus ex Pandectis*

c) Vide inter *Inedita Noſtri*, *n.* 9.

d) De *Geographiâ Nubienſi* vide inter *Inedita*, *n.* 35.

e) De *Diſſertatione*, eâdem ſuper materiâ à *Noſtro* typis vulgata, vide inter *Edita Noſtri*, *N. I.*

dictis Juſtiniani, de Mercibus peregrinis, emendatus.

N. LIII. Nobil. et Excell. Lucæ Schroeckio, Seniori, Poliatro Auguſtano. *Medici illuſtres Auguſtanorum f).*

N. LIV. Nobil. et Excell. Lucæ Schrœckio, L. Fil. Poliatro Auguſtano. *Deliciæ Vernales. Notitia hortorum. Elenchi phytologici g).*

N. LV. Nobil. et Excell. V. Euſtachio Muzenhardio, Poliatro Auguſtano. *Medicina noſtri ſeculi h).*

N. LVI. Nobil. et Præſtantiſſimo V. Samueli Korneſſero, Pharmacopæo olim Onolsbacenſi, nunc Windhemico in Franconia. *Lexicon medicum polyglottum. Soleciſmi et Barbariſmi officinales Lingua Pharmacopœorum Borrichiana i).*

N. LVII. Nobil. et Clariſſ. V. Frid. Matthiæ Beckio Philoſophiæ Doctori, LL. Orient. et Theologiæ peritiſſimo, celeberrimo. *Societas Juſtinianea Orientis convertitoria k).*

N. LVIII. Nob. V. Joſepho Vernero Rei pictoriæ, Antiquitatis peritiſſimo, celeberrimo. *Honores Calligraphiæ et Chalcographiæ et Graphices univerſæ. Picturæ prætermiſſorum ad varias ſcientias et Medicinam l).*

N. LIX.

f) Vide inter *Meditata Noſtri, n.* 33. Utinam tum in hoc præſenti, tum in antecedenti *Alphabeto VIII. Bibliothecæ* meæ *Auguſtanæ* VELSCHIUM magnis æquare paſſibus, mihi licuiſſet!

g) De *Horticultura* vide inter *Inedita Noſtri, n.* 46. De *Elenchis* vide inter *Meditata Noſtri, n.* 48.

h) Vide inter *Inedita, n.* 44.

i) De *Lexico* vide inter *Meditata Noſtri, n.* 95. De *Soleciſmis* autem inter *Inedita, n.* 39.

k) Vide inter *Meditata, n.* 21.

l) Vide inter *Meditata Noſtri, n.* 91.

Digitized by Google

N. LIX. Nobil. et Excell. V. Franciſco de le Boe Sylvio, Profeſſori Med. Lugduni in Batavis. *Anti-Leuchneriana.*

N. LX. Nobil. et Ampl. V. Andreæ Boſio, Profeſſori Jenenſi. *Joſephi Editio nova et accuratiſſima, Gr. Lat. Gorionides Hebr.*

N. LXI. Nobil. Ampl. et Excell. V. Guernero Rolfincio, Med. Profeſſori Jenenſi, Archiatro Saxonico Vinarienſi. *Menſura et Pondera Oriental. et Americanorum m).*

N. LXII. Nobil. et Excell. V. Melchiori Velſohio *) Poliatro Curienſi in Rhætia. *Praxis medica Hippocrat. Galenica, Chemica n).*

N. LXIII. Politiſſimo Juveni Jo. Jacobo Velſchio, Philoſ. et Med. Cultori, Nepoti ſuo ex Fratre chariſſimo. *Medicinæ ſtudium, ejusque ratio. Excerpendi modus et legendi varius o).*

N. LXIV. Clariſſ. et Præſtantiſſimo V. Petro Mar. Frambotto, Typographo et Bibliopolæ Patavino celeberrimo. *Scripta propria.*

N. LXV. Nobil. et Excell. V. Chriſtiano Legardo, Medico Dano. *Relationes medicæ p).*

N. LXVI. Nobil. et Ampl. V. Chriſtiano Adolpho Balduino, Præfecto Hagnenſi. *Societas Samaritanica Med. Beynoniana q).*

m) Vide inter *Meditata Noſtri, n.* 12.

*) Vereor, ne mendum typi lateat; ut forte legendum ſit: *Velſchio.*

n) Vide inter *Meditata Noſtri, n.* 1. 2.

o) De *Modo excerpendi* vide inter *Inedita, n.* 56.

p) Vide inter *Inedita Noſtri, n.* 14.

q) Vide inter *Meditata, n.* 22. Certe circa illa empora prodiit *Eliæ Beynon barmherziger Samariter.* Libellus in uſum pauperum multoties recuſus.

Digitized by Google

N. LXVII. Nobil. et Excell. V. Philippo Jacobo Sachſio Poliatro Vratislavienſi. *Obſervationes variæ.*

N. LXVIII. Nobil. et Excell. V. Henrico Vollgnadio, Poliatro Vratislavienſi, et Academiæ Nat. Curioſ. Adjuncto. *Notationes quædam in Ephemerides Nat. Cur. nuper editas.*

N. LXIX. Nobil. et Doctiſſimo V. Antonio Reiſero, olim Bibliothecario Auguſtano. *Notitia accurata Bibliothecarum.*

N. LXX. Nobil. et Rev. V. Theophilo Spizelio Theologo, Philoſopho, et Polyhiſtori celeberrimo. *Commentarius de Vita ſua r).*

Finio verbis *G. D.* MORHOFII *s)*: „ Mihi ingenium hujus Viri (*Velſchii*) admirabile ſemper viſum eſt. Quas enim ille non diſcipli„ nas, linguas, etiam Orientales, conatibus pene Herculeis, exhauſit? Quod in illo judi„ cium? Quam ſanum et elegans? Quantus hu„ manioris litteraturæ apparatus? Ego certe quo„ ties triſtes illas e naufragio tabulas, affectorum „ Operum Indicem, perſpicio; toties ſane hanc „ eruditi orbis jacturam deploro, et nunc publi„ ce omnes, qui hujus Viri ſuppellectilem litte„ rariam poſſident, obteſtor, ne quicquam illa„ rum chartarum perire ſinant: typographos ve„ ro, ut tineis et blattis, quicquid earum ſu„ pereſt, eripiant, neque publico invideant. “

BECH-

r) Hunc vix bene cœptum mors immatura perficere prohibuit, ùt monui.

s) In *Polyhiſt. Tom. I. p.* 55. 267.

Digitized by Google

BECHLER (*Franciſcus Joſephus*) *Auguſtanus*, cujus extat:

Diluvium particulare Microcoſmi, i. e. Theſes inaugurales medicæ de Catarrhis. in 4. *Herbipoli.* 1709. *die* 9. *Julii*

propugnatæ in Univerſitate Julio-Ducali *ibidem*, ſub præſidio *Joann. Martini Anaſtaſ. Orth*, pro obtinenda Doctoratûs Laurea, & â Defendente *Senatui Auguſtano* dicatæ.

BERCKMILLER (*Thomas*) in dias luminis auras anno 1660. procreatus eſt; id quod ex Epiſtola *Noſtri* ad *Joann. Jacob.* TREYLINGIUM, & hujus ad *Noſtrum* reſponſoria, ſcripta 1730. 31. Octobr. (De ambabus ſermo inferius recurret) clare conficitur. Ibi namque *Thomas* noſter ait: *ſe*, etſi jam ſeptuagenarium, *opiniones ſuas non tam pertinaciter fovere, ut corrigi erubeſcat.* Patriam autem habuit *Auguſtam*, uti *Annales Academiæ Ingolſtadienſis*, à *Jo. Nep.* MEDERER vulgati, *Tom. III. pag.* 46. docent. Id ætatis conſecutus, quo certo alicui ſtatui mancipare mortales ſeſe aſſolent, medicam præ cunctis reliquis artem eſt amplexus: ad quam eâ diligentiâ incubuit, ut dignus habitus ſit, qui in Academia *Ingolſtadienſi* ſub annum partæ ſalutis 1682. Doctoratûs laurea inſigniretur; uti rurſus mox citati *Annales* hujus *Univerſitatis* teſtantur.

Succedente tempore in venerandum Medicorum patriæ urbis collegium ſuſcipi, inſuperque Ducis *a*) & Duciſſæ *Parmenſis b*) Archiater re-

a) Ita teſtatur *Catalogus Medicorum Auguſtanorum* præfixus *Pharmacopœæ Auguſtanæ* ſub elapſi ſæculi finem vulgatæ.

b) Hunc ſe ipſus vocat in Titulo Libelli ſui: *Microcoſmus.*

Digitized by Google

nunciari commeruit. Quibus posthæc fatis usus sit, quémve vitæ cursum habuerit, me penitus fugit: nisi quod eum longiori temporis spatio in *Italia* commoratum fuisse, à fratre meo natu majore accepi. Vixit *Noster* adhuc anno 1734. in patria civitate medicam artem factitans *c*), obiitque ibi tandem annis & senio gravatus.

Habetur à *Nostro* sequens Opusculum, mole quidem parvum, sed argumento magnum ac singulare:

I. *Microcosmus per brevem Dissertationem omnibus, qui se nosse cupiunt, utilissimam, & simplicissima solidæ Philosophiæ fundamenta tradentem, cum Corollariis, dilucidatus.* 12. *Augustæ Vindel.* Sumptibus *Hæredum Martini Happach & Consort.* MDCCXXXIII. Dicavit hanc suam Opellam *Noster Joann. Jacob.* TREYLINGIO Philos. & Medic. Doctori, Electoris *Bavarici* Consiliario, in Universitate *Ingolstadiana* Medicinæ Professori celeberrimo, ac illustris Academiæ *Carolino-Cæsareæ* Naturæ Curiosorum Collegæ, *Chœreas* dicto. Caussam hujus Dedicationis *Nostro* præbuit TREYLINGII *Dissertatio physico-medica de Caussa operationis medicamentorum directrice*, quam cum *Noster* perlegisset, vidissetque, TREYLINGIUM in ea asserere, „ dari in homine, præter animam „ rationalem, aliud principium vitale realiter ab „ illa distinctum, quale datur in brutis," statim secum concluſit, supradictum Libellum suum TREYLINGIO, *utpote aptissimo in hac causſa judici*, offerre. Epistolam *Nostri* dedicatoriam sequitur ἀμοιβαία TREYLINGII, in qua partum *Nostri*, *profun-*

c) Vide *Catalogum Medicorum Augustanorum* præmissum *Pharmacopææ Augustanæ*. 1734. recusæ.

funde doctum et tum rationibus physicis, tum S. Scripturæ testimoniis, tum auctoritate Eruditorum nixum vocat: & quamvis haud per omnia cum *Nostro* sese consentire prodat, tamen *reliqua tanquam ex ingenio maturo & defoecato profecta, sucque opinioni valde conformia probat & æstimat eo magis, quo clarius in sacris Litteris fundata demonstrantur.* Epistolæ TREYLINGII succedit Dissertatio *Nostri* in qua, *pag.* 26. ait: „ Demonstrandam itaque assumo dualitatem animarum in homine, duas „ videlicet unumquemque hominem animas possidere, realiter inter se distinctas: unam immortalem, rationalem nempe, quæ ad Dei „ imaginem creata: alteram vero mortalem ac „ brutalem per esum pomi in Adamo & Eva suscitatam, indeque in omnes posteros traductam. "

Laudatæ Dissertationis *pag.* 85. aliam Dissertionem editurum sese pollicetur Auctor noster, quam tamen lucem vidisse haud novi, his verbis: „ Anima brutalis, pure sensitiva & mortalis, quomodo per esum pomi in Adamo & Eva „ suscitata sit (in statu enim innocentiæ adhuc „ in centrum contracta erat) alio tempore disquirendi erit occasio.... " Et paulo inferius: „ Sed hæc, quia secretiorem spirant Cabalam, „ breviterque describi non possunt, nunc transeo, reservoque alii Dissertationi, quæ, si Deo „ placet, *funestam immortalis hominis, in mortalem, metamorphosin* describet. " — Satis!

BIERMANN (*Georg. Jacob.*) Medicus *Augustæ* scripsit

Tractatum de Hominibus in aqua ſuperſtitibus: Von Menſchen, die im Waſſer dauren.
Obiit anno 1772. menſe *Maio*.

DEISCH (*Jo. Andreas*) *Auguſtanus*, Medicinæ & Chirurgiæ Doctor, Phyſicus in Republica *Auguſtana* celebris, qui anno 1713. in lucem progenitus, finitoque ſtudiorum curſu annô 1742. in patrium Collegium medicum adſcriptus eſt. Habuit is etiam honoris locum in *Academia Cæſareo-Leopoldina Curioſorum Naturæ*, in quam, ordine *ſexcenteſimus trigeſimus octavus*, ſub nomine: *Democedes III.* receptus fuit *a*). Vulgavit plura, quæ ſunt:

I. *Diſſertatio de neceſſaria in partu præternaturali Inſtrumentorum Applicatione.* Argentorati. 1741.

II. *Anatomiſche Beſchreibung des menſchlichen Leibes*, ex Gallico *D. Verdier* Chirurgi Pariſini. in 8. *Augsburg.* 1744. Recuſum 1756.

III. *Abhandlung, daß weder die Wendung, noch engliſche Zange in allen Geburtsfällen vor Mutter und Kind ſicher gebraucht, noch dadurch die ſcharpfe Inſtrumente gänzlich vermeidet werden können.* in 8. *Augſburg.* 1754. Recuſum 1766.

IV. *Diſſertatio de Uſu Cultrorum & Uncinorum ſcindentium eximio in partu præternaturali, nec verſione fœtûs, nec adplicatione forcipis promovendo.* in 4. *Suobaci.* 1759.

V.

a) V. *Nova Acta* memoratæ *Academiæ. T. III.*

Digitized by Google

V. *De Fallacia Signorum Conceptionis à primo ad quintum graviditatis menſem.* Hæc *Obſervatio* reperitur in *Novis Actis phyſico-medicis Academiæ Cæſar. Curioſor. Natur. T. II. p.* 390. miſſa à *Noſtro Halam* die 24. Junii, 1760.

VI. *Abhandlung von verſchiedenen Geburten.* in 8. maj.

Confer, ſi lubet, *G. Chr. Hamberger Gelehrtes Teutſchland. p.* 191.

GULLMANN (*Benedictus*) Auguſtanus, patriæ Reipublicæ Phyſicus, *Academiæ Leopoldino-Cæſareæ Curioſorum Naturæ*, locô trecenteſimo quadrageſimo quinto, ſub nomine *Alcinoi* adjunctus floruit medio ferme ſæculo XVIII. De familia *Noſtri*, minimè ignobili, videri poterunt *Jo. Seiferti Tabulæ genealogicæ.* Quod ſi etiam hæ deeſſent, *Nobilem* ſe *Obſervationibus* medicis, quas *Actis* dictæ *Academiæ* inſeruit, abunde comprobavit. Ibi habes

In *Volumine I.* Obſervationes *Noſtri* has. Anaſarca poſt convulſiones curata. Gravida, tonitru perculſa, edit fœtum mortuum membris convulſis rigidisque. Cachexia incurabilis ex cadaveris anatome ſe manifeſtans. Conceptio falſa à plethora diris concomitatæ ſymptomatibus. Polypus pendulus. Labiorum firma Coalitio ex retroceſſa ſanie varioloſa. Tuſſis epidemica Auguſtana puerilis.

In *Volumine II.* Inexſpectata & funeſta Salivatio. Aphonia à catharro. Ficus ſeu tumor Cilii ſuperioris palpebræ feliciter curatus absque ſectione. Inſignis Hæmorrhoidarius. Exanthemata maligna arthritidi vagæ ſupervenientia. Hy-

Digitized by Google

drops ovarii ſiniſtri. Scabies moleſtiſſima podagram excipiens eamque ſolvens. De Abuſu Acidularum Deinacenſium lethali. Deglutitio annuli innocua. De Abortu ex neglecta pertinaci alvi obſtructione.

In *Volumine III.* De Podagræ incongruo medicamento retropulſæ lethali eventu: & Officulo ſub cranio reperto.

In *Volumine IV.* De Ulcere gangrænoſo, *Phagædena* dicto, cum adjuncto Diario perrari hujus affectûs.

In *Volumine V.* Cephalalgia gravis hypochondriaca, febre anomala pertinaciſſima ſtipata, tandemque feliciter expugnata. Clauſura Ani feliciter curata.

In *Volumine VI.* Inopinata & vix exſpectata Reſtitutio Juvenis phthiſici, in tertio ſtadio conſtituti. Subitanea et funeſta Cataſtrophe ſomni naturalis in ſomnum mortalem.

Præterea ſequentes *Obſervationes* à *Noſtro* repperiri in *Ephemeridibus* ejusdem *Academiæ Centuria* 7. & 8. monet *J. J. Mangetus a*).

Obſervatio 89. De Anatome Virginis cachexiâ, cum variis ſymptomatibus ſtipatâ, defunctæ. *Obſervatio* 90. De Motibus convulſivis poſt puerperium. *Obſervatio* 91. De Hypercatharſi periculoſa. *Obſervatio* 92. De Abortu cum mola ſubſequenti.

Obiit *Gullmannus* anno 1745. die 17. Decembris, ætatis 73.

GU-

a) V. Eius *Biblioth. Script. Medic.*

Digitized by Google

GUTERMANN (*Georg. Fridericus*) qui primùm quidem *Kaufburæ*, poſtea *Auguſtæ*, urbe haud dubie patria, medicinam exercuit; in quo poſtremo loco non ſolùm *Collegii medici Membrum*, ſed ejusdem quoque *Vicarius perpetuus* eſſe meruit.

Inter Socios *Academiæ Curioſorum Naturæ*, ordine quadringenteſimus trigeſimus quartus, receptus nomen *Agapeti* geſſit, pluresque *Obſervationes*, *Actis* ejus *Academiæ* inſerendas, cum illo venerando Collegio communicavit, de quibus inferiùs habes. Reliqua, quæ typis vulgavit, ſunt:

I. *Nachricht von Gebrauch und Wirkungen bewährter balſamiſcher und ſtärckender, auch Geblüt- und Mutter-reinigender Pillulen.* in 4. *Kaufbeurn.* 1736.

II. *Betrachtung des Leidens unſers Erlöſers Jeſu Chriſti unweit dem Hof mit Nahmen Gethſemane an dem Oelberg &c. &c.* in 4. *Augsburg.* 1743.

III. *Erklärte Anatomie für Hebammen, ſamt derſelben Anwendung zur Praxi.* in 8. *Augsburg.* 1752.

IV. *Gutachten über das Einbelzen der Kinderblattern: Ein Anhang zu D. Huxhams Tractat von der Kinderblattern-Krankheit.* in 8. 1757.

V. *Vernunftige Gedanken über mancherley aus Unwiſſenheit, und durch Mißbrauch ſcharpfer und ſtumpfer Inſtrumenten verunglückte Geburten.* in 8. maj. *Frankfurt und Leipzig. II. Theile.* 1761.

VI. *Unterricht von äuſſerlichen oder chirurgiſchen Arzneymitteln.* in 8. *Augsburg.* 1761. *II. Theile.*

VII.

Digitized by Google

VII. *Aechte Entbindungs - Kunſt.* in 8. *II. Theile. Frankfurt und Leipzig.* 1763.

In *Actis* vero ſupradictæ *Academiæ novis* ſequentes *Obſervationes* à *Noſtro* habes:

In *Volumine III.* De Matrona, iterato abortu molisque uteri laborante, expoſita per Epiſtolam ad *Præſidem Academiæ, Jo. Jacob. Baierum.* De Arthridite vaga, convulſionibus epilepticis ſoluta. Hydrops thoracis in ſene verè ſeptuagenario cognitus & curatus. Remedium draſticum in hydrope ovarii exhibitum, lethiferum: *item* Luxatio oſſis femoris à cauſſa interna permanens. Acetum ſcilliticum in nephritide calculoſa apprime proficuum. De partu Gemellorum poſt aliquot ſeptimanarum intervallum ſucceſſive edito. De partu Geminorum præmaturo. Infans cum Brachio fracto natus.

In *Volumine VI.* De Vomitu aquæ ex gulæ cardialgia et cholica ſpaſmodica chronica, crebrisque evomitionibus blennæ acidæ nigræ, atque alvi ſegnitie pertinaciſſima, cum Relatione extiſpiciorum & Judicio pathologico.. De Extiſpiciis puellæ adultæ, iisdem dolorum diuturnis afflictionibus atque Inteſtini recti laceratione extinctæ, longe aliter ſe habentibus. De Corde, pericardio, atque mediaſtino, in unam maſſam tunicaceam compactis.

Confer, ſi lubet, *G. Chr. Hamberger Gelehrtes Europa. Editio III. p.* 381.

Obiit circa annum 1789.

KHELLE (*Joannes*) *Auguſtanus*, cujus à me viſa eſt

Digitized by Google

I. *Disputatio de Historia Anatomica.* in 4. Huic adde

II. *Disputationem de Mictu cruento.* in 4. *Altdorfii.* 1721. quam memorat *Catalogus Bibliothecæ Rinckianæ, p.* 767.

LAUBIUS (*Hieronymus*) de quo dixi in *Alphabeto VI. Biblioth. August. p.* 111.

ROSNER (*Jo. Georg. Ehrenreich*) Doctor Medicinæ, Consiliarius aulicus *Anspacensis*, Physicus civitatis *Augustanæ*, natus *Baruthi* anno 1730. à quo extant

I. *Dissertatio inauguralis, quâ nonnulla circa vires Lactis monentur.* in 4. *Lugduni Batavorum.* 1756.

II. *Sammlung einiger Gedichte.* in 8. *Bayreuth.* 1773.

REIS (*Joann. Caspar*) Chirurgus *Augustanus*, à quo extant:

I. *Compendium anatomico-chirurgicum: Kurtze, doch deutliche und gründliche Anleitung zur Wundartzney und neue Grundsätze der Chirurgie.* in 8. *Augsburg.* 1739.

II. *Gründliche Untersuchung des Aderlassens und Schrepfens, worinn eigentlich der rechte Gebrauch, und Mißbrauch dieser zweyen chirurgischen Operationen unpassionirt gezeigt wird.* in 8. *Augsburg.* 1751.

WIDE-

Digitized by Google

WIDEMANN (*Franciſcus*) Chirurgus *Auguſtæ*, circa annum 1729. ad id muneris vocatus, publicavit:

I. *Collegium chirurgicum univerſale*: *Kurze und allgemeine Lehre von der Wundarzney.* in 8. *Augſpurg.* 1737.

II. *Collegium chirurgicum über die Bandagen oder Verbindung-Arten.* c. fig. *Editio III.* in 8. 1745. Laudat hoc Opus *Chriſt. Guil. Keſtnerus* in *Biblioth. medic. p.* 805. memorans *editionem anni* 1735.

III. *Tractat vom Stein- und Bruch-Schneiden, wie auch vom Staar-Stechen.* in 8. *Augsburg.* 1719. Hujus Opuſculi itidem cum laude meminit *Keſtnerus l. c. p.* 699.

WIDEMÆNNIN (*Barbara*) uxor præcedentis *Franciſci*, Obſtetrix *Auguſtæ*, multò peritiſſima, edidit

Kurze, jedoch hinlänglich- und gründliche Anweiſung chriſtlicher Hebammen. in 8. c. fig. *Augſpurg.* Opuſculum ob communem utilitatem ſæpius recuſum.

* * * * *

Hæc ſunt, quæ de Medicis Auguſtanis *tum in* præcedenti, *tum in* præſenti Alphabetis *dicere habui, in quibus complurium dignißimorum Iatrorum nomina ab omnimoda, quâ jamjam ſepulta videri poterant, oblivione vindicâſſe: ferme omnium autem Geſta ac Scripta majori, quam hactenus gavi-*

ſa

ſa ſunt, luce perfudiſſe, ſummæ voluptati mihi duco. Interim, Lector benevole! tibi perſuaſiſſimum habeas, velim, multos alios (per quadringentorum *annorum ſpatium) Medicos* Auguſtæ *exſtitiſſe, ſive ſcientiarum laude, ſive praxeos clinicæ felicitate inſignes. At quoniam illorum monumenta ingenii vel nulla extant, vel ego repperire nulla quivi, pro eo, quem Scriptioni meæ ſemel poſui, termino eosdem haud commemorandos, ſed ſilentiô plane prætercundos judicavi.*

IATROLOGIAE AUGUSTANAE
SÆCULI XVII. ET XVIII.
FINIS.

MAR-

Digitized by Google

MARCI (*Joannes*) *J. V. Doctor.*

Joannis Marci, patriâ *Norimbergenſis*, Juriſconſulti, Politici, Civis optimi præcipuas *Vitæ* circumſtantias atque merita eximia abunde ac difertiſſime pandit *Epitaphium* honori ejus ære publico et Senatûs voluntate *Haunshemii* (*Haunsheim*) poſitum ſequentibus verbis:

MEMORIÆ ÆTERNÆ
JOANNIS MARCI I. U. D.
CIVITATIS IMPERIALIS KAUFFBURANÆ
PER X. ANNOS SYNDICI,
REIPUBLICÆ AUGUSTANÆ
PER XV. ANNOS CONSILIARII MERITISSIMI,
QUI, POSTQUAM
NORIBERGÆ POLITIORIS,
ARGENTINÆ SOLIDIORIS,
SPIRÆ DENIQUE PRACTICÆ DOCTRINÆ
FUNDAMENTA HAUSERAT,
PORRO
IN ITINERE ITALICO ERUDITIONIS,
IN FORO JUSTITIÆ,
IN CURIA PRUDENTIÆ,
IN AULA CÆSARIS COMITATIS,
IN COMITIIS IMPERII ELOQUII,
IN CONVENTIBUS CIRCULARIBUS SUEVIÆ
PERITIÆ,
IN CASTRIS MILITARIBUS
CONSTANTIÆ,
PIETATIS, MODESTIÆ,
INDUSTRIÆ, INTEGRITATIS
LAUDEM UBIVIS MERUERAT:
ET SECURITATIS PUBLICÆ CAUSSA
SUPREMUM

EX-

Digitized by Google

EXERCITUS CÆSAREI LOCUM-TENENTEM
PERICLITANTE UNDIQUE REPUBLICA
UNA CUM DUOBUS COLLEGIS,
LEGATUS ADIERAT,
CONTAGIOSO MORBO CORREPTUS
D. 19. AUG. ANNO SAL. 1703. ÆTAT. 54.
PLANGENTE VIDUA
ANNA MARIA WALTERIA. P. A.
LUGENTIBUS LIBERIS,
DOLENTIBUS CIVIBUS BONISQUE OMNIBUS,
DIEM OBIIT SUPREMUM:
HOCCE HONORIS
ET GRATITUDINIS MONUMENTUM,
NE, QUI VIVUS TOT TANTISQUE MERITIS
INCLARUIT,
MORTUUS, IN OBSCURO LOCO INGLORIUS
IACERET,
CURANTE FILIO UNICO SUPERSTITE
PAULO JOANNE MARCI
SENATORE, AEDILI ET SCHOLARCHA,
ÆRE PUBLICO FIERI JUSSIT
SENATUS AUGUSTANUS
A. S. 1750.

Habetur à *Noſtro* Opus ſequens:

Reſponſa juridica; quibus acceſſerunt Diſcurſus aliquot. Ἱερὸν ἀληθῶς ἐστὶ ἡ Συμβουλία. *Oettingæ*, aut (quod Theoph. Georgi in *Europäiſches Bucher-Lexicon* habet) *Auguſtæ Vindel.* 1696. in 4.

Hæc de *Patre* — Jam de *Filio* mox nominato. Itaque

Paulus Joannes MARCI natus anno 1685. poſtquam adolevit, *Halæ Magdeburgicæ* ad Juris ſtudium incubuit, ubi etiam ſub præſidio *Chri-*

Digitized by Google

ſtiani Thomaſii, Profeſſoris Juris ordinarii, pro *Licentia* ſummos in utroque Jure honores & privilegia doctoralia rite capeſſendi

Diſſertationem inauguralem de Inutilitate Brocardici vulgaris: Quæ ſunt in territorio, præſumuntur etiam eſſe de territorio. *Anno* 1709. *ad diem* 5. *Octobr. in Auditorio majori. Halæ.* in 4.

typis excuſam habuit.

Redux *Auguſtam*, in Senatu patrio anno 1718. ſedem cepit, teſte *Langenmantelio* in Libro: *Hiſtorie des Regiments in Augſpurg.*

Eôdem annô, quô parenti ſuo juſſu Senatûs, mirâ munificentiâ filialem *Noſtri* pietatem ſecundantis, Monumentum ſepulchrale erexit, ſibi quoque tumulum in Cœmeterio ad *S. Stephanum*, *Auguſtæ*, legit hac Inſcriptione addita:

PHILIPP. III, 20.

Noſtrum Politeum in cœlis eſt.

HANC DOMUM TERRESTREM
SIBI ET SUIS PARAVIT,
CÆLESTEM EXSPECTANS,
PAULUS JOANNES MARCI
REIPUBLICÆ AUGUSTANÆ
SENATOR, AEDILIS, SCHOLARCHA,
ET COEMETERII HUIUS PRÆFECTUS.

Sirach. XXX, 1-4.

Vita quid eſt hominis? Naſcique, Patique, Morique.

Anno Chriſti 1750.

Obiit *Noſter* anno 1753. menſe *Auguſto*. Juſta funebria ei perſoluta ſunt die 28. memorati menſis.

MAR-

MARGARITA (*Antonius*)

Celebri inter Judæos familia oriundus, fuit *Samuelis Margarithæ* ſeu *Margolith*, primarii Rabbini *Ratisbonenſis*, filius; ſed Judaiſmô relictô ad amplectendam fidem Chriſtianam lectione potiſſimum *Capitis LIII. Iſaiæ prophetæ* (ùt ipſe teſtatum reliquit) permotus, ſacroque fonte *Waſſerburgi* oppido *Bavariæ* anno 1521. ablutus eſt. Dum inter Judæos fuit, vitæ ſubſidia ſibi in promptu fuiſſe, ipſus narrat; ſed, ubi Chriſtianorum cœtui additus eſt, in magnam egeſtatem una cum uxore ac liberis incidit. Ea res Judæis anſam dedit *Noſtri* oblata pecunia ſollicitandi, ut ad Synagogam reverteretur.. At ille hæc omnia ſpernens, in Fide chriſtiana ſtabilis manſit, & præcepta *Linguæ hebrææ* tradendo ſibi ſuisque victum quæritabat. Docuit autem *Tubingæ*, *Auguſtæ*, *Zellæ*, *Miſniæ* ac *Lipſiæ*. Et *Auguſtæ* quidem manens ſequentem edidit Tractatum:

I. *Der ganz Jüdiſch Glaub mit ſamt einer gründlichen und wahrhaftigen Anzaigung aller Sazungen, Ceremonien, Gebethen, haimliche und offentliche Gebrauch; deren ſich die Juden halten durch das ganze Iar, mit ſchönen und gegründeten Argumenten wider ihren Glauben, durch Antonium Margaritam hebraiſchen Leſer der löbl. Stadt Augsburg &c.* in 4. *Augsburg.* Apud *Henric. Stainer*, die 7. April. 1530. Ad calcem libri *Noſter* ait: *Außgegangen im neunten Iahr meiner Widergepurt, wölliche zu Waſſerburg geſchehen.*

Liceat mihi excurrere, et poſteriores *Libri* hujus editiones enumerare. Sunt illæ *Lipſienſis* anno 1531. à *Noſtro* cum *Additionibus* procura-

ta: et quidem *bis* eodem anno diverſis litterarum formis. *Francofurtenſis* anni 1544. in cujus fine annus converſionis *Noſtri* mendoſiſſime indicatur, ex editione 1531. absque debita mutatione deſumptus. *Ibidem* 1561. in 4. *Ibidem* 1617. curante Joanne *Hombergio*. in 4. *Ibidem* 1684. *Helmſtadienſis* 1689. in 4. *Lipſienſis* anni 1705. â *Chriſtiano Reineccio* adornata. *Ibidem* anno 1713. De his editionibus omnibus teſtantur WOLFIUS in *Biblioth. hebræa p.* 203. LIPENIUS in *Biblioth. theolog. T. II. p.* 507. GEORGI in *Bücher - Lexicon.* Sed redeo ad *Noſtrum.*

Hunc in memorata urbe *Auguſta* gravis calamitas excepit; dum Judæi quibûs (neſcio) artibûs impetrârunt, ut in carcerem conjiceretur. Succurrit miſero *Joannes Fabri*, Epiſcopus *Viennenſis*, cuius interventu *Noſter* in conſpectum Mareſchalli Cæſarei *Caſparis Khünigl* adductus, et innocens declaratus fuit. Libertati redditus *Lipſiam* contendiſſe videtur. Certe ibi 1531 ſupramemoratum Tractatum: *Religio tota Judaica*, â ſe augmentatum (quod mox monui) vulgavit. Inſuper edidit *Noſter*

II. *Pſalterium hebraicum*, vernacula linguâ, quod *Punctis vocalibus* inſtruxit, additis in margine *Verbis radicalibus.* Si *Michaeli Denis*, in *Wienns Buchdrucker - Geſchichte*, fidem adjungimus, prodiit *Lipſiæ.*

Poſthæc *Viennam* venit: ubi, cum circa id temporis *Ferdinandi I.* Imperator illam *Univerſitatem* ad majorem evehere claritatem ſecum ſtatuiſſet, Noſter *Lector linguæ hebraicæ* primô locô nominatus fuit. Evidenti rei hujus documento eſt Liber:

III.

Digitized by Google

III. *Anthonius Margaritha der hebrayſchen Zungen bey der löblichen Univerſitet zu Wienn in Oſterreych &c. dißmal Ordinari Lector, erklerung. Wie aus dem heylligen* 53. *Capitell des fürnemigiſten Propheten Eſaie grüntlich außgefüert, probiert: das der verhaiſchen Moſchiach (wellicher Chriſtus iſt) ſchon khommen, die Juden auff khainen anndern mer wartten ſollen &c.* in 4. *Wienn.* Per *Joann. Singrenium.* 1534. In fine legere eſt. *Außgangen nach Chriſti geburt Tauſent Fünfhundert und in dem vierunddreyſſigiſten jare. Und im dreyzehenden jare meiner widergeburt, welliche zu Waſſerburg in Baieren beſchehen a).* Dicavit *Alberto* Moguntino Electori & Archiepiſcopo. *Denis l. c.* pro more accurate recenſet.

Hactenus dicta belle confirmat *Georg. Ederus*, qui in *Catalogo Rectorum .. Archigymnaſii Viennenſis*, Viris doctiſſimis *Noſtrum* jungens, ad annum 1542. ſequentia ſcripſit: *Infra hoc decennium clarebant litteris Ambroſius Salzer, Jacobus Ziegler ..... Antonius Margarita Hebræus....*

Præterea *Noſtrum* typo obſtetricante publicaſſe invenio conſequens Opus:

IV. *Inſtitutio de Chriſtianorum Palmarum Aſini Ceremonia.* in 4. 1541. *Latine* an *Germanice*, cum *Michaele Denis* pariter ignoro, quòd Librum ipſum videre mihi non contigerit. In Titulo *Michael Denis* verbum, *Aſini*, expunctum, & vocem:

a) Dum annum 1530. *annum* â converſione ſua ad Chriſtianiſmum *nonum*: & annum 1534. *annum* ab eadem *decimum tertium* ipſe facit; neceſſario ſequitur, eum anno 1521. ſacra chriſtiana amplexum fuiſſe. Atque ex his facile corriges, quæ *Michael Denis*, & alii de anno converſionis *Noſtri* minus recte ſcripſerunt.

Digitized by Google

cem: *affini*, ſubſtitutam vellet. Rectene an ſecus, neſcio; cum ex more vetuſto in Dominica Palmarum Chriſti aſino inſidentis ſimulacrum circumducere conſueverit Fidelium plebs.

A *Noſtro* promiſſa, ſed minus edita, Opera ſunt ſequentia:

V. *De Foenore Judaico.*

VI. *De Luporum ſive Wolfiorum inter Judæos familia.*

VII. *Dialogus de Fide cum Judæo.*

VIII. *Vertewtſchung der Thalmudiſchen Fabel.*

IX. *Tractat über die Juden, an die Kayſerliche Majeſtät.*

X. *Grammatica hebraica.*

XI. *Verſio hebraica Evangelii S. Matthæi.*

Diem ſupremam clauſiſſe Noſtrum *Viennæ*, tradit *Jöchern* in *Gelehrten-Lexicon.* Sit penes auctorem fides! Hanc ei habere recuſat *Denis.*

Præter citatos à me Scriptores videri de *Noſtro* poterunt *Fabricius* in *Annal. Miſnic.* & Liber: *Unſchuldige Nachrichten von theologiſch. Sach. T. VI. p.* 206. in *Anna* uxore Urbani Rhegii.

RAUNER (*Narciſſus*)

Magiſter Philoſophiæ, Poëta laureatus a), natus eſt *Auguſtæ* 1631. 18. Maii, patre *Narciſſo* RAUNER, matre *Eliſabetha* HARSEPLIN. De huius pueritia etſi nihil mihi conſtet; egregiam tamen per ea tempora illum ſtudiis diligentiam adhibuiſſe, magnosque in litteris progreſſus feciſſe, tum

a) Hunc honoris titulum ſibi ipſe vendicat in ſua opella: *Leich-Carmen über Georg.* MULLER *&c.* Confer *Jo.* SEIFERT *Stamm-Tafeln gelehrter Leuthe, T. I.*

Digitized by Google

tum ex muneribus, quæ poſtea geſſit, tum ex Libris, quæ edidit, apte conjicio. Adultior factus, anno 1654. cum *Eliſabetha* MICHAELIN matrimonium iniit, nuptiis *Biberaci* 18. Mart. celebratis, ex qua 13. liberos ſuſcepit *).

Hunc ad annum 1658. inter Didaſcalos *Gymnaſii Annæani*, *Auguſtæ b*) lego. Poſt obitum vero *Joannis* CROPHII in Ephorum *Collegii Annæani* aſſumptus ita muneri ſuo præfuit, ut eximiam nomini ſuo laudem pepererit. Hinc *Jacobus* BRUCKERUS *c*) poſtquam *Joannem* CROPHIUM, in dicto Ephoratu *Noſtri* prædeceſſorem, ab *eruditionis præſtantia*, *fide ac dexteritate* commendaſſet, *Noſtro* ſequens encomium ſcripſit: „ Quod & pa„ ri ratione dicendum de *Narciſſo* RAUNERO, Vi„ ro *longe doctiſſimo*, cujus felicia fata, quibus „ ejus fidem & probitatem Deus remuneravit, „ in generoſa proſapia, filio præſertim **) natu „ maximo, ad excelſa munerum honorumque cul„ mina evecto, veróque Eruditorum Mœcenate „ omnes, quotquot *Auguſtæ* vivunt, ſuſpiciunt. " Anno 1704. *quinquagenarii* connubii ſui ſolennitatem lætus cum uxore celebravit, quam tamen mox ſequenti anno morte ſibi ereptam doluit.

*) Vide mox laudatum *Jo.* SEIFERT *l. c.*

b) In Libro: *Phil. Jac. Crophii Hiſtorie des Gymnaſii zu St. Anna in Augſburg*, 8. 1740. *pag.* 102.

c) In *Commentatione de Vita & Scriptis Eliæ* EHINGERI, *pag.* 29. *in Notis.*

**) Fuit hic *Joannes Thomas de* RAUNER, Patricius *Auguſtanus*, Dominus in *Mühringen*, *Wiſenſtetten*, *Tommelsperg & Mühlen* ad Neccarum &c. Senator Reipublicæ *Auguſtanæ* &c. &c. Vide *Jo.* SEIFERT *Stamm-Tafeln*, *Tom. I.*

Digitized by Google

Hinc ob ingraveſcentem ætatem rude donatus *d*) tandem, 83. annorum ſenex, vitam cum morte commutavit, anno Chriſti Servatoris 1714. 23. Julii *e*).

Noſtrum editis in publicam lucem ſcriptis inclaruiſſe tradit *Philipp. Jacob.* CROPHIUS *f*) Atque utinam in iis recenſendis operæ nonnihil poſuiſſet! Ego inveni ſequentia, fors amplam adhuc ſegetem aliis me ſecuturis Scriptoribus relinquens.

I. *Leich-Carmen über Georg.* MULLER *Handels-Bedienten aus Reichenhall, der in Augsburg* 1665. 19. *Januar. geſtorben.* Extat inter alia Carmina emortualia in MULLERUM.

II. *Davidiſcher Jeſus-Pſalter.* 12. *Augsburg.* 1670 *g*).

III. *Reimgedichte über die apoſtoliſche Epiſteln. Augsburg.* 1687.

IV. *Spizliſches Ruhm-Gedächtniß. h*). Eſt *Theophilus* SPIZELIUS, *Auguſtanus*, cui hoc ſcripto parentavit *Noſter.*

Epi-

d) Vide *Jac.* BRUCKERI *Commentationem de Vita & Scriptis Eliæ* EHINGERI. *p.* 29.

e) Vide *Phil. Jac.* CROPHII *Hiſtorie des Gymnaſii zu St. Anna &c. p.* 102. *Joann.* SEIFERT *Stamm-Tafeln gelehrter Leuthe, Tom. I.*

f) Vide *Ph. Jac.* CROPHIUM *l. c. p.* 104.

g) LIPENII *Biblioth. theolog. Tom. II. p.* 782.

h) V. *Jo. Chriſtoph.* WENDLERI *Diſſertationem II. de Meritis Reipublicæ Auguſtanæ in Rem litterariam.* in 4. *pag.* 35.

Digitized by Google

Epitaphium *Noſtri* in ambitu Eccleſiæ *S. Annæ*, *Auguſtæ*, habetur tale:

M. NARCISSUS RAUNER P. L. C.
COLLEGII EVANGELICI EPHORUS
OPTIME MERITUS,
TANDEM EMERITUS,
FERVENTE GERMANICO BELLO TRICENNALI
DIE 18. MAII A. C. 1631.
NATUS;
INGRUENTE PACE RASTADIENSI
DIE 23. JULII A. C. 1714.
PIE DENATUS.
VIR ANTIQUAE VIRTUTIS, RARÆQUE SORTIS;
FELIX MARITUS
CUM ELISABETHA MICHAELIS
BIS LÆTUS CELEBRAVIT NUPTIAS:
TREDECIM LIBERORUM FACTUS PATER,
QUADRAGINTA QUINQUE NEPOTUM AVUS,
UNIUS PRONEPTIS PROAVUS,
EXANTLATIS LABORIBUS,
PERFUNCTIS HONORIBUS,
FAMILIA FLORENTE, PATRIA GRATULANTE,
ANIMA COELUM ANHELANTE
VOTI, VITÆ SATUR, COMPOS FACTUS
CORPORIS HIC RESURRECTIONEM EXSPECTAT.
TU, QUI HÆC LEGIS, COELESTIA QUÆRE,
UT COELORUM OLIM FIAS INCOLA.
QUOD VOVET
PERPETUI AMORIS ET MERITISSIMI HONORIS
MONUMENTUM PONENS
PARENTI DILECTISSIMO
FILIUS LUCTUOSISSIMUS,
JOHANN. THOMAS DE RAUNER
PATRITIUS ET SENATOR AUGUSTANUS.

AD LATUS
BEATI SUI PARENTIS DORMITURUS
MAXIMUS NATU FILIUS,
GENEROSAE STIRPIS SATOR,
DE HOC SIBI SUISQUE PROSPEXIT
DORMITORIO
PERILLUSTRIS VIR
JOHANN. THOMAS DE RAUNER
DYNASTA IN MURINGEN
MUHLEN AD NICARUM, WISSENSTETTEN
ET DOMMELSBERG
PATRICIUS ET SENATOR AUGUSTANUS
REGIS BRITANNICI ET ELECTORIS BRUNSVICO-
LUNEBURGENSIS
$\frac{7}{18}$. OCTOBR. A. 1715. ET $\frac{12}{23}$ SEPT. A. 1727.
ELECTORIS BAVARICI 7. AUG. 1726.
NEC NON MARCHIONIS BAADEN-BAADENSIS
17. APR. 1716.
CONSILIARIUS AC RESIDENS,
QUI HANC ADSPEXIT LUCEM
A. 1659. 12. JUN.
CUM CONIUGE EGREGIA
MARIA MAGDALENA GULLMANNIA
A. 1688. 16. FEBR. SIBI CONJUNCTA
CONSPICATUS 5. FILIOS ET 8. FILIAS
22. NEPOTES ET 35. NEPTES
PRONEPOTES .. PRONEPTES ..
PLACIDA TANDEM MORTE
A. 1735. D. 27. DEC. ÆTATIS 77. OBDORMIVIT,
AD LUCEM ÆTERNÆ VITÆ EVIGILATURUS.

RU-

Digitized by Google

RUDOLPHUS *de Auguſta.*

Hunc *Corbinianus* KHAMMIUS *a*) *Natis Auguſtanis, ad exteras dignitates evectis*, diſerte accenſens ſcribit ſequentia:

„ Rudolphus de Auguſta, Patavii Transal-
„ pinorum Rector magnificus (Duo tum tempo-
„ ris Rectores creabantur) Academiæ Statuta cor-
„ rexit anno 1302.“

Cum *Khammio* concordat *Nicol. Comn.* PAPADOPOLIUS *b*) monens, *Rodulphum* noſtrum cum *Joanne de Bononia*, & *Bono de Mora* anno 1301. Rectoratum *Patavinæ* Academiæ geſſiſſe. Accedit *Jacob.* FACCIOLATI *c*) dicens: *Ineunte ſæculo XIV. Ciſalpinis primum præpoſitus Joannes de Bononia, deinde Bonus de Mora Mediolanenſis: Transalpinis Rudolphus Auguſtanus. Symbolam quisque ſuam, in* Statutorum Codicem *conferentes, oblivionem effugerunt.* Idemque in *Indice Rectorum* annum Rectoratûs *Noſtri* aſſignat 1302.

a) In *Hierarch. Auguſt. P. II. Colleg. p.* 247.
b) In *Hiſtor. Gymnaſ. Patav. T. I. p.* 94.
c) In *Faſtis Gymnaſ. Patav. P. I. p. VII.*

THURMIUS (*Joann. Jacob.*)

Patriâ *Auguſtanus* fuit, ingentis ſpei adoleſcens; quem in ipſo ætatis flore, medioque litterariæ peregrinationis curſu præcoci morte raptum & patria, et erudita doluit Respublica. Hujus memoriam præſentî in locô agere duplicî cauſſâ commoveor: *primâ*, quòd alii ante me Litteratores *Noſtri* meminiſſe nequaquam omiſerint: *ſecundâ*, quòd ipſemet brevi, quo vixit, tempore lucu-

luculentiſſimîs documentîs oſtenderit, qualis Vir evaſurus fuiſſet, ſi vita ſibi ſuppetiviſſet.

THURMIUS anno 1649. primam vitalem auram haurire cœpit *Auguſtæ* (ùt dixi) patre *Chriſtiano*, mercatore: matre *Jacobina Milleria* genitus. Magna parentum nullis laboribus, nullis ſumptibus parcentium educatus ſollicitudine, vel in tenera ætate egregiæ indolis clariſſima indicia præbuit. Elucebat in eo *ingenium promptum, capax, expeditum; memoria firma atque ſtupenda; mens inter ſtudia puerilia minime puerilis, bona, fauſti augurii plena; diligentia et laboris aſſiduitas eximia.* Hinc factum, ut, in ludum litterarium miſſus, haud difficulter *Grammaticam* diſceret: ductúque *Joann. Crophii*, & *Narciſſi Raueneri* (Amborum laudes *ſuperiùs* celebravi) *Græcam* ac *Latinam* linguas mira facilitate excoleret: commilitones omnes multis modis vinceret: & quoties in publico auditorio vel orationes vel carmina recitaret, omnibus admirationi eſſet. Sic intra paucos annos humanioribus litteris perceptis, etſi vix quatuordecim annos habuit, tamen ex umbra ſcholaſtica in Academiæ lucem producendus videbatur.

Itaque *Lipſiam* venit, ubi *Jo. Bened. Carpzovii* hoſpitiô exceptus, & cum hujus, tum etiam *Martini Geieri* curâ tantos in ſacra præcipue Philologia progreſſus fecit, *ut ſine punctis Hebraica legeret & ad ipſa tandem Rabbinorum penetralia accederet.* Mox etiam ad *Artium & Philoſophiæ* ſtudia animum applicuit, quâ privatim quâ publice uſus Doctoribus celeberrimis Io. Adam. *Scherzero*, Frider. *Rappoldo*, Chriſt. Frider. *Franckenſteinio*, Jac. *Tomaſio*, Valent. *Alberti*, quorum moni-

monita ſequens *ſic Philoſophiæ ſacra fecit, ut omni exſpectatione citius, vix tribus luſtris major, ad utramque lauream aſpirârit.*

His geſtis tum privatim docendo, tum publice diſputando, feliciſſimum, quo præditus fuerat, ingenium *Thurmius* oſtendit, & partas ſcientiarum opes palam expoſuit variis *Diſſertationibus* editis, de quibus inferius dicetur. Præterea ad *Hiſtoriam* & venerandam *Antiquitatem* noſcendam incubuit. Nec ſola librorum nomina ſcire, aut indices eorundem pervolutare; ſed, ſi quem Scriptorem arripuiſſet, attentè atque integrè perlegere, & quæ in rem ſuam eſſent, notare ac deſcribere ſolebat. Charus ante alios ei fuit *Seneca*, cujus lectione propter ſummam ſententiarum copiam ac gravitatem mirifice delectatus eſt. Fuit aliud etiam quippiam, quô maxime ſtudia ſua ad optatum effectum adduxit, & palmam ſolidæ doctrinæ tam celeriter eſt conſecutus: ordo ſcilicet & methodus certa, quam in ſtudiis ſuis propoſitam ſibi habuit: et cujus, ceu nauticæ acûs cujusdam præſidio, naufragium in vaſtiſſimo artium & diſciplinarum oceano evitans, ad deſideratum ſapientiæ portum feliciter navem appulit. Tandem ad *Theologicum* ſtudium, cui ab incunabulis a parentibus deſtinatus erat, acceſſit, in quo Jo. Adami *Scherzeri* (Hujus in ædibus inſignem eruditæ converſationis palæſtram nactus fuerat) L. Simon. *Loefferi*, Hieronymi *Kronmayeri*, Jo. Udalr. *Mayeri*, G. Chr. *Boſii*, Thomæ *Stegeri* præceptiones audivit.

Sic variis laboribus academicis perfunctus *Auguſtam*, charos parentes ſalutaturus, redivit: Ibi aliquantulum ſubſiſtens, ſacro ſermone in primario

Digitized by Google

rio Templo evangelico ad concionem habito, ſuorum in ſe admirationem convertit: varia cum Eruditis colloquia miſcuit: &, quod reliquum erat horarum, legendo abſumpſit. Subin reviſendæ Academiæ *Lipſienſis* nova cupidine ſuccenſus, eò perrexit telam, quam cœperat, theologicam continuaturus, & novo quodam ſpecimine doctrinam ſuam Philoſophorum Ordini comprobaturus. Mox vero advertens, quarundam adhuc linguarum, *Belgicæ* cumprimis atque *Anglicæ* cognitione ſe deſtitui, earum rectiùs diſcendarum cauſſâ, fructuoſam ad Belgas & Anglos peregrinationem ſuſcipere ſecum decrevit.

Itaque ſupremum *Lipſiæ* vale dicens, primo *Wittebergam* ſe contulit, Abrahami *Calovii*, & Ægidii *Strauchii* famâ illectus. Inde *Magdeburgum*, Magdeburgo *Helmſtadium* petiit, Hermanni *Conringii* hoſpitio ibidem exceptus. Poſthæc Arcem *Wolfenbüttelenſem* acceſſit, & Bibliothecâ vere *Auguſtâ*, quæ ibi eſt, luſtratâ, nobiliſſimas *inferioris Saxoniæ* civitates viſit, quæcunque notatu digna attentis obſervans oculis: quoscunque Viros doctos e. g. *Brunvici*, *Bucholzerum*; *Hannoveræ*, *Giſenium*; *Zellæ*, *Hildebrandum*; *Lunæburgi*, *Schwenkium*; alibi alios ſtudioſe compellans: & quæ cum iis habuit, erudita colloquia litteris ſedulo conſignans.

Neque enim aut *culpanda animi levitate aut vana curioſitate* (ùt ipſe de ſe *a*) teſtari non prætermiſit) *ſed ſolidioris ſcientiæ comparandæ amore* doctum iter ſuum inſtituerat: videlicet, *ut quod domi haud licuit, colloquia cum Viris doctis ubivis*

a) In *Præfat.* ad *Diſſertationem de Ratione Brutorum.*

vis locorum miſceret: theſauros Bibliothecarum ſcrutaretur: naturæ atque artis miracula oculis uſurparet: obſervataque horîs, quæ ad feceſſum relinquebantur, ſtudioſe connotaret. Ob eum finem *Diarium* adornavit, piâ ad Jeſum oratione pro fauſto peregrinationis ſuæ exitu in fronte munitum, in quod ſuas *Obſervationes* ordinate referret: de quo inferius agetur. Nunc ad alia —

Noſter, cœpti itineris curſum ſtrenue proſequens, poſt emenſa viarum ſpatia *Hamburgum* ſalvus atque incolumis pervenit, ubi ante alios Eſdram *Ezardum* Virum in hebraicis & rabbinicis litteris verſatiſſimum, ſuadente Henningo *Lochawio*, ſæpius convenit. Tum luſtratâ *Lubeca*, *Roſtochium*, ubi Auguſti *Varenii* & Henrici *Müllerî* converſatione plurimum eſt recreatus; inde *Kilonium*, *Schleſwigam*, *Bremam*, et, præcipiti jam anni 1668. æſtate ipſum *Belgium* confoederatum ingreſſus, *Græningam*, *Franequeram* atque *Amſtelodamum* adiit. In ea ſplendidiſſima urbe J. A. *Comenium*, Virum et doctrina & canitie venerabilem vidit, Judæorumque Synagogam intrans cum quodam Hebræorum acrem *de Myſterio Trinitatis*, & *Templi ſecundi gloria* habuit Diſputationem. Denique *Lugdunum Batavorum* profectus eſt. In hac urbe de aliquo laborum et ſtudiorum ſuorum erudito fructu (Meletemate nimirum *de Ratione Brutorum*) edendo jampridem cum animo ſuo cogitârat: hanc urbem doctæ peregrinationi ſuæ, pro hac quidem vice, terminum fixerat. At heu! hanc eandem totius humanæ peregrinationis terminum ac metam *Noſtro* eſſe voluit Deus. Correptus namque maligna febri, ſaltem habente aliquid de maligno, an-

anno 1669. die 7. Auguſti præmatura morte deceſſit, vix vicenario major.

Defuncti laudes Vir perdoctus *Theophilus* SPIZELIUS duplicî ſcriptô celebravit: unô *germanicô*, ſub titulo: *Jo. Jac.* THURMS *ſeelige Abreiſe aus Leyden in Engelland &c.* 4. *Augsburg.* 1670. alterô *latinô*, quô in hac narratione maxime uſum me eſſe profiteri debeo: et cui epigraphen Auctor fecit: *Præcox Maturitas Viri-Juvenis... J. J.* THURMII *Art. liberal. Magiſtri & Theoſophiæ Candidati ... delineata.* 4. *Auguſtæ Vindel.* 1670.

Præterea *Præceptores, Fautores & Amici Lipſienſes cineribus Noſtri lacrymas Academicas* affuderunt: Inprimis *Frid. Benedictus Carpzovius* diſcipulo ſuo, *qui cum Lipſiæ per aliquot annos aſſiduam ſtudiis operam dediſſet, inde ſuperiorem Germaniam perluſtraſſet, jamque inferiorem diſcendi & cuncta noſcendi cupiditate incredibili adiiſſet, ad Britannos, Italos, et Gallos, ut ex omni orbe variam ſibi conquireret doctrinam, abiturus, paucos poſt dies, quam Lugdunum Batavorum conceſſerat, vitæ ac mortalitatis legem implevit, clarum ſed triſte Amicitiæ bonæque Recordationis Monumentum* exaravit. Deinde *Lugdunum Batavorum Faces funebres in* Noſtri *Exſequiis* accendit. Denique *Fautores & Amici Auguſtani Leſſum ad tumbam ejusdem* decantârunt *b*).

Superſunt à *Noſtro* Scripta, quæ referre pergo.

I.

b) Nota, Lector! phraſes, ſuperiùs allatas, ex titulis Meletematum funebrium in *Noſtrum* eſſe deſumptas.

Digitized by Google

I. *Disputatio de Anima rationali*, habita sub præsidio *D. Jacobi Thomasii. Lipsiæ.* 1665.

II. *Disputatio de Distinctione Potentiarum Animæ rationalis, Intellectus & Voluntatis, & ab anima & inter se. Ibidem.* 1766. Ipse *Thurmius*, Præses & Auctor, censuræ publicæ exposuit.

III. *Dissertatio de Modo proponendi Philosophiam gentilium Poëtarum per Fabulas. Ibidem.* 1766. Ipse, Præses & Auctor, fuit.

IV. *Dissertationes duæ de Differentiis Animæ rationalis & sensitivæ*, annis 1667. & 1668. *pro Loco in inclyta Facultate philosophica obtinendo*, Eruditorum examini subjectæ. *Ibidem.*

V. *Exercitatio historico-zoologica de Apibus. Ibidem.* 1668.

Atque in his omnibus ac singulis *Nostrum* miram ac singularem Rerum philosophicarum cognitionem prodidisse: hæc omnia ac singula non trivialia aut cruda, sed elaborata, ac docta esse, affirmat testis minime inidoneus, *Spizelius.*

Manuscripta Nostri circumferuntur sequentia:

VI. Σκιαγραφία *Prudentiæ christianæ.* Hanc se inveniisse inter cætera *Nostri* manuscripta, tradit idem *Spizelius*, exhibens tractandorum Elenchum.

VII. *Diarium Itineris litterarii Germano-Belgici.* Ex hoc *Selecta* exhibuit *J. G. Schelhornius* in *Amoenit. Litter. T. XI. p.* 269.

Conferri de *Nostro* poterunt GOEZIUS in *Elogiis Eruditorum præcocium.* KLEFEKERUS in *Bibliotheca Eruditor. præcoc.* Liber, *Unschuldige Nachrichten*, *T.* 32. Ego finio, memor *Quintilianæi* illius *c*). *Ob-*

c) In *Prooemio Libr. VI.*

Digitized by Google

Obſervatum fere eſt, celeriùs occidere feſtinatam maturitatem.

TOMANUS (*David*)

Vir politicus; Jurisconſultus; Reipublicæ *Auguſtanæ* Conſiliarius, ejusdémque Legatus ad Diætam *Ratisbonenſem*; ex ſpectatiſſima *Tomanorum ab Hagelſtein*, quæ *Ravenſpurgi* & *Lindavii* opibus ac munerum geſtorum gloriâ olim floruit, familia originem duxit. Vitam ejus accuratiſſime dedit *Paulus à* STETTEN in Libro: *Lebensbeſchreibungen zur Erweckung bürgerlicher Tugend. T. I. p.* 361. quem proinde ſequi juvat: ita tamen, ut quæ de litterariis *Noſtri* laudibus connotata ſervo, fuſius exponam.

Patrem *Noſter* habuit *Philippum Erneſtum* non tam panis lucrandi, quam animi & innatæ indolis explendæ cauſſa pictoriæ arti minime invita Minerva deditum, ceteroquin publicis & politicis negotiis occupatum. Mater *Noſtro* fuit *Maria Wolfia* de *Iſni*.

His parentibus A. 1624. ad diem $\frac{16}{26}$ Aprilis primô locô natus, anno ætatis 16. Viennam cum patre, quem illò gravia negotia vocaverant, venit. Ibi cœptum ſtudiorum curriculum ſtrenue proſequens, perceptis *Philologicis* cognitionibus, ad prima Jurisprudentiæ elementa diſcenda animum adjecit. Unde poſt biennium (1642.) in Academiam *Argentoratenſem* miſſus præter alios celebres Jurisconſultos *Taborem*, *Bitſchium*, *Rebhunium*, & *Boëcklerum* audivit, atque ita audivit, ut poſt breve temporis intervallum ſub præſidio mox memorati *Boëckleri* Theſes politicas *de Tiberio ad Suetonii*

nii Vitas Imperatorum, cum applauſu propugnârit. Manſit autem *Noſter* in eo Athenæo multis annis, propoſitum habens, ima Themidos penetralia veſtigandi, ſeque tum privatis tum publicis cauſſis bene ventilandis parem reddendi. Obtinuit quoque infatigabili diligentia adminiculante propoſitum ſuum. Namque A. 1650. poſt exantlatum rigoroſum examen publice de *Proxenetis* diſputavit. Qua re ipſe quidem ſummos in Jurisprudentia honores petendi *licentiam* conſequutum ſeſe: *Diſſertationi* autem ſuo Marte conſcriptæ id honoris collatum vidit, ut laboribus *Collegii Argentoratenſis*, facta nova editione, inſereretur. Brevi poſt, quam hæc geſta fuerant, a Familia Comitum *de Hohenlohe Neuenſteinium* vocatus fuit, ut Aulæ & Cancellariæ Conſiliarium ageret; ſed eo munere (incertum quibus de cauſſis) dimiſſo *Auguſtam*, quaſi ex optato venit. Namque ea Respublica illo maximè tempore idoneo egebat Iuris-Conſulto. Hinc cum *Noſtrum* non ſolum doctrina, ſed et facundia, et corporis habitus, et inſinuandi ſe dexteritas plurimum commendarent, ſecretioris Senatûs, partis acatholicæ, conſeſſus minime dubitavit, *Noſtrum* in Conſiliarium ſibi adlegere. Eo honore auctus *Argentoratum* repetiit, ut Doctoris Juris utriusque Laurea condecorari ſe faceret; quod tunc maxime in Reipublicæ Conſiliario requiri debere videbatur.

Officio ſibi concredito præfuit *David* ſingulari cum induſtria, doctrina, integritate, atque omnium approbatione. Præterea rem ſcholaſticam, partis acatholicæ, ſibi concreditam habuit: et Muſicen in Eccleſiis eiusdem partis dirigendam ſuſcepit; cum canendi artis peritiſſimus eſſet; adeo

Digitized by Google

ut non ſolum variis inſtrumentis luderet, ſed etiam notas ipſe aptiſſime componeret. Hinc cum illo tempore *M. Narciſſus Raunerus*, de quo ſupra ordine ſuo egi, *Pſalterium Davidis* rythmis Germanicis expreſſiſſet, eosdem *Noſter* modulis muſicis animavit.

Neque *Auguſtanæ* Reipublicæ negotia intra ipſa duntaxat illius mœnia, ſed extra urbem quoque ſedulo adminiſtravit. Sic plusquam 50. *Conventibus Circuli Suevici* interfuit: ſic plurimas *Diætas Imperii monetales* frequentavit: ſic, cum 1673. triſte bellum *Germaniam* inter et *Franciam* erupiſſet, ipſe ad obeundos *Conventus bellicos* anno 1673. deputatus, Aulamque Cæſaream anno 1676. adire juſſus eſt; in qua per biennium tum *Circuli Suevici* univerſim, tum privatim Urbis *Auguſtanæ* res cum maxima virtutis et doctrinæ exiſtimatione curavit; quatuor vicibus ad *Auguſtiſſimum* colloquium admiſſus, et ſingularem Miniſtrorum Aulæ uti et Legatorum, Imperii Procerum, benevolentiam colligens ſibi. Hinc factum, ut ad Sereniſſimorum Principum aulas vocaretur, a ſecretioribus conſiliis futurus, et honorificentiſſimis muniis ornandus, quæ tamen ſemper deprecatus eſt.

Similiter *Ratisbonam* anno 1676. jubente Senatu ivit, ut Urbs *Auguſtana* gravi, quo per *Matriculam* Imperii premebatur, onere levaretur. Atque in hoc negotio ſtatum Reipublicæ tum variis ſiniſtris caſibus, tum bellicis incurſibus afflictiſſimæ tam vivîs coloribûs depinxit, ut Imperatorem et reliquos Imperii Ordines ad moderandam *Matriculam* permoverit, & ſumma 900. Florenorum contribuendorum, usque ad 400. anno 1679. redacta fuerit.

Ex

Digitized by Google

Ex eo tempore *Tomanus Ratisbonæ* vix non continuo una cum familia ſua manſit; niſi quod anno 1683. novo cum *Gallis* bello ingruente et *Circuli Suevici*, *Franconici*, ac *Bavarici*, utpote qui Martis terroribus proxime feriebantur, Ordinibus ac Principibus in arctiorem ſocietatem coeuntibus, *Auguſtam*, locum Conventûs, quà Imperii ac Circuli Legatus evocatus fuit. Manſit itaque ibi tantum temporis, quantum graviſſimum iſtud negotium poſtulabat; quô peracto *Ratisbonam* reverſus eſt.

Equidem anno 1684. denuo Respublica *Auguſtana* eum repetiit; quod ex ejus præſentia plurimum utilitatis ſe percepturam eſſe crederet, aut omnino præſentiâ ejus indigeret. Sed cum *Noſter* omnium Ordinum Legatis multò acceptiſſimus eſſet, obſtitêre tum *Commiſſariatus Cæſareus*, tum *Electorale Moguntinum* ſimul, ac *Civitatum Imperialium Directoria*, quo minus vocatio iſta exitum ſortiretur.

Præter res *Auguſtanas*, aliarum quoque *Noſter* civitatum imperialium, ùt *Lindaviæ*, *Biberaci*, *Kaufburæ*, *Wangæ*, & *Leutkirchæ* negotia dexterrime adminiſtravit. Multa rogatus doctiſſima *Conſilia* ſcripſit: & aliis ſtatui ſuo congruis occupationibus, quod vitæ ſupererat, ſpatium utiliter exegit; usque dum in gravem ac diuturnum morbum incidit; qui eum vivorum ê numero ſuſtulit anno 1688. ingens ſui deſiderium in civium *Auguſtanorum* & *Ratisbonenſium* animis relinquentem. Terræ mandatus eſt in templo SS. Trinitatis, *Joanne Alberto Urſino* pro concione laudante: *Joanne Andrea Scheidlino* Archigrammatæo Acta

& Scripta ad res *Auguſtanas* ſpectantia domum revehente.

Connubium iniit anno 1654. nactus uxorem opulentam: quâ mortuâ ad ſecundas proceſſit nuptias. Liberos habuit plures, quos inter natu maximus *Jacobus Erneſtus* poſt adeptum Juris-Licentiatûs honorem patris labores ſecundavit, poſtea ſenatoria dignitate in patria auctus. Alter *Philippus Erneſtus*, ad exemplum avi artis amans pictoriæ, in Italia aliquamdiu egit. Tertius *Jacobus Alexius* et ipſe Jurisprudentiæ ſe dedit, præmaturis raptus fatis. Hucusque Perilluſtris *Paulus à* STETTEN *loc. cit.* quem conſulat, quisquis rerum narratarum circumſtantias omnes diſtinctiùs noſſe cupit: quas, utpote ad meum inſtitutum haud proxime ſpectantes, brevitatis gratiâ reſecandas exiſtimavi.

Jam propius ad litterarias *Noſtri* laudes accedere juvat. Audivimus, eum multis *Conventibus monetalibus* interfuiſſe; nec id immerito. Quam enim in his rebus intelligens fuerit, ſequentibus *Conſultationibus* eximie comprobavit:

I. *Ohnfürgreifliches Bedenken, ob es bey gegenwärtiger, täglich zunehmender Münz-Confuſion und groſſen Geld-Kipperey dem H. R. Reich beſſer, auch nutz- und vorträglicher ſey, dermahlen dagegen nur ein Proviſional-Mittel zu ergreifen: oder aber ſolchem immerzu Land- und Leuth-noch mehrers verderbenden Uebel, auf einmahl, aus dem Grund zu ſteuern und zu wehren?* Anno 1681.

II. *Umſtändliches Bedenken, aus was für Urſachen der gute und gerechte Reichsthaler weder an ſeinem innerlichen Halt (der* 14. *Loth und* 4. *Gran feins-Silbers) um* 6. *Kreuzer zu verringern: noch auch*

auch an dem äuſſerlichen Werth (der 90. Kreuzer) um 6. Kreuzer zu erhöhen; ſondern dabey beſtändig zu laſſen ſey? Anno 1683.

III. *Gründliche Information, was das Ausmünzen geringhaltiger, und Reichs-Schrot- und Korn ungemäſſer Münzſorten, und die Münzkipperey eigentlich ſey, und worinn und was geſtalten ſelbige heuntigen Tags am meiſten geübet werde: und wie derſelben, in einem und dem andern, nach dem Innhalt der heilſamen Münzordnungen, und andern ſtattlichen Reichsconſtitutionen mit Ernſt, Eifer und Nachdruck zu ſteuren, zu wehren und zu begegnen ſey?* Anno 1684.

IV. *Diſcurs, den Silberkauf betreffend; in welchem gezeigt wird, daß ſelbiger ſich jederzeit nach den Münzen richte und regulire, und dahero auch mit demſelbigen ſteige oder falle, je nachdem ſie gut und gerecht, oder böß und ungerecht ausgeprägt ſeynd.* Anno 1685.

V. *Aus der täglichen Praxi & ipſa rerum Experientia gezogenes Münzbedenken, daß bey jezigen fort und fort mehrers zunehmenden Münz-Confuſion und Geld-Verringerung weder rathſam noch möglich ſey, durch Remedia proviſionalia wiederum auf die anno 1559. aufgerichtete heilſame Münz-Ordnung, wie ſelbe anno 1623. nach damahliger ausgetilgter unerhörten Münzſteigerung von dem geſammten Römiſchen Reich ergriffen worden, zu kommen und zu gelangen: ſondern die Wichtigkeit des Wercks unumgänglich erfordere, das dieſelbe auf einmal wieder introducirt, und alſo das Hauptwerck ſonder einige Tergiverſation und Umſchweiff zur Hand genommen werde.* Anno 1686.

Has Conſultationes *Noſter* primùm ſcriptô iis, quorum interérat, communicavit; poſtea ex magnorum Patronorum voluntate typis procuſæ fuerunt. Verùm, cum pauca exemplaria impreſſa fuiſſent, brevi rara fieri cœperunt. Quamobrem Amatores abs filiis *Noſtri* petiverunt, ut hi ex Bibliotheca lectiſſima & inſtructiſſima patris præclara, quæ idem vivus collegerat, *Acta monetaria*, tum manu ſcripta, tum prælo excuſa, publici juris facerent. Inde enatum Opus ſequenti titulo:

Der Römiſch-Kayſerlichen Majeſtät und des H. R. R. geiſt- und weltlicher Churfürſten, Fürſten, und Stände Acta publica monetaria, ſchriftliche Handlungen, Conſtitutiones, Bedenken, und Vorſchläge, die Anordnung, Reformation, und Beſſerung des Münzweſen in Deutſchland betreffend. in fol. *Augsburg.* 1692.

Operi in *tres* partes diſpertito *a*) prænotatæ *quinque Conſultationes* Noſtri denuo acceſſerunt. Poſt multum autem temporis *Supplementum* dicti Operis prodivit hoc titulo: *Tomanus continuatus; oder Acta monetaria noviſſima; ſchriftliche Handlungen, Bedenken, und Vorſchläge den gegenwärtigen Zuſtand des Münzweſens betreffend &c.* in fol. *Francofurti.* 1752.

VI. *Grundmäßige Ausführung de Anno* 1678. *daß des H. R. R. Stadt-Augsburg einer ſtarcken Mo-*

a) Hoc ipſum labentibus annis rarum atque infrequens evaſerat. Sed raritatem iſtam ê medio ſuſtulit *Hirſchius* editô *Archivio monetario* (*Münz-Archiv*) qui, quæ *Noſtri* Opus præcipua ac graviſſima habet, recudi fecit ſuo Operi inſerens; uti monet prænominatus *Paul. à* STETTEN.

Digitized by Google

Moderation ihres alten, auf 25. *Pferde und* 170. *zu Fuße: oder an Geld auf* 900. *Gulden ſich belaufenden Wormſiſchen Reichsanſchlags, höchſt benöthiget, und derſelben damit zu begegnen ſey.* Meletematis hujus (haud dubie typis excuſi) quæ fuerit cauſſa ſcribendi, in *Vita* dictum eſt.

VII. Diverſa *Opuſcula* & *Tractatus*, quos *Noſtrum*, nomine ſuo non præfixo, edidiſſe monet *Perilluſtris Auctor* â me ſupra nominatus, addens: horum, utpote adeſpotorum, aptam recenſionem concinnari nullo modo poſſe.

Redeo ad *Noſtrum* — Fuit is *in aliis præclarioribus ſcientiis, curioſisque ſtudiis verſatiſſimus*; uti fidem facit *Præfatio* ſupradicti *Operis monetarii*. Muſæum inſtruxit egregium ac publicâ famâ celebratum. Quin juvat ejus laudes ex ore teſtis exteri, eruditiſſimi, atque ob id nulli ſiniſtræ ſuſpicioni obnoxii, percipere, *Caroli* nimirum PATINI Doctoris Medicinæ, qui in Libro ſuo: *Relations hiſtoriques & curieuſes de Voyages. Lyon.* 1674. *pag.* 58. de urbe *Auguſta Vindelicorum* agens, ſcribit ſequentia: *On voit la Curioſité toute entiere chez M. Thoman, qui occupe le reſte du temps, que ſa Republique luy laiſſe, à amaſſer ce, qu' on peut avoir de curieux. Les Medailles antiques & modernes tiennent le premier rang dans ſon Cabinet: et enſuite les Livres, les Tableaux, les Eſtampes, et les Bijoux. Ie remarquai chez luy un Portrait de la main d' Albert Durer, d' auſſi bon goût, que j' en ai vû ailleurs.* Latinè. *Curioſitas tota atque integra apud D. Thomanum oculis videntium proſtat, qui tempus abs Reipublicæ curis liberum ad colligenda quævis Curioſa impendit. Primum in ejus Muſæo locum occupant*

Numiſmata antiqua juxta ac recentia. Succedunt Libri, æri inciſæ Icones, Picturæ, Gemmæ. Apud ipſum obſervavi Effigiem ab Alberto Durero parî elegantiâ, ac alibi vidi, pictam. Certe *Noſter* in operibus artis tam acute vidit, ut non modo de illis quam ſcitiſſime judicârit, ſed etiam artifices, quorum tum haud paucos *Auguſta* habuit, quam aptiſſima doceret, gaudentes, Virum ſibi obtigiſſe, cujus monitionibus proficere ipſi poſſent.

Conferri de *Noſtro*, ſi lubet, poterunt *Struvius* in *Biblioth. Juris:* & *Dunckelius* in *Nachrichten &c. T. II.*

WEBER (*Ignatius*) Ord. Præmonſtrat.

De hoc ex Libro: *Spiritus litterarius Norbertinus a ſcabioſiis Caſimiri Oudini calumniis vindicatus, à RRmo. D. Georgio Ord. Præmonſt. Abbate Roggenburgenſi &c.* ſequentia afferre juvat.

„ Auguſtæ 1711. cunas, contubernium Religioſum Urſpergæ per ſacram Profeſſionem 1730. „ 1. Maij ſortitus, & 1. Maij 1735. ſacerdotio con„ decoratus, Prioris, Sub-Prioris, Circatoris, „ ac Parochi in Langenhaslach Muneribus func„ tus, Apoplexia defunctus eſt 1755. 6. Martii. „ Multo labore conſcripſit Tractatum:

„ *Origo de Miraculoſa Crucifixi Urſpergenſis* „ *Effigie, eiusque Cultu per ſex ſæcula conſtanter* „ *aſſerto, ac mira devotione propagato: ſeu Diſ*„ *ſertatio theologica de licentia Baptiſmi infanti*„ *bus abs vita natis, ad Miraculoſam Crucifixi* „ *Urſpergenſis Effigiem deportatis: ibidemque du*„ *bia vitæ ſigna edentibus, ſub conditione conferen*„ *di &c. Rationibus tum in-tum extrinſecis fir*„ *ma-*

„ *mata, atque ab objectionibus adverſariorum vin-*
„ *dicata.*“

WEISBRUCKERINN (*Anna*)

Auguſtam nacta eſt patriam, digna oppido, quæ inter doctas fæminas locum accipiat, utpote hebraici & chaldaici ſermonis apprime perita. Nupſit *Urbano Rhegio* Viro famoſiſſimo. Extat inter Opera mariti *Colloquium* ab ipſo cum illa habitum, *in quo Prophetiæ Veteris Teſtamenti de Chriſto, ejusque regno explicantur a).*

a) V. SCHELHORNII *Amœnit. litterar. T. XIII. pag.* 210.

ZEILNERINN (*Helena*)

Gentilitio nomine STECKLERINN, *Auguſtana*, et ipſa doctis annumeranda fæminis eſt. Ejus honorificam mentionem *Jöchern* in *Gelehrten Lexicon*: Jo. Andr. *Fabricius* in *Abriß einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrtheit*: Nic. Hieron. *Gundling* in *Hiſtorie der Gelehrtheit*, *p.* 5178. faciunt.

Extat ab ea: *Der Seelen Luſt-Gärtlein, zuſammengetragen von vielen chriſtlichen Sprüchen. Augsburg.* Apud *Eliam Willer.* 1600. Item *Lauingen.* Per *M. Jacob. Winter.* 1601.

Confer *Schwäbiſches Magazin, VI. Band. p.* 745.

Digitized by Google

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google